

1437

IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO THEOLOGICA SOLENNIS
DE

LUCE MINISTE-
RIALI,
Ex MATTH. V. v. 14.

QUAM
IN ILLUSTRIS ELECTORALI ACADEMIA
WITTEBERGENSI,
SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS *Deutschmanns* /
SS. THEOL. DOCT. PROF. PUBL. & ALUMN.
ELECTOR. EPHORI.
PRO LICENTIA,

Quam vocant,

Ad Consequendos Supremos in Theologia Honores

A. JOHANNES ANDREAS LUCIUS,
Hactenus SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ Ecclesiastes Au-
licus, nunc vocatus Pastor Ecclesiæ Dresdensis, & Designatus
Ejusdem, ut & Vicinarum Superintendens &c.

Publicis Collationibus

D. XXIX. Novembr. M DC LXXVII.

IN AUDITORIO MAJORI

exponet.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.

~~1437~~

ll. diss. A
S 2, 10

84. A. 162 (10)

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSUL-
TISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS

VIRIS,

DOMINIS

CONSULIBUS

ET

SENATORIBUS

INCLYTÆ REIPUBLICÆ

DRESDENSIS

MERITISSIMIS,

DOMINIS, PATRONIS, FAUTORIBUS & AMICIS
plurimum colendis,

Disputationem hanc Solennem

In debitum gratitudinis monumentum pro
antiquissimis pariter ac recentibus in se
suosq; collatis beneficiis

*Cum omnigena ac perpetua felicitatis voto,
officiose*

Dat, dicat, consecrat

JOHANNES ANDREAS LUCIUS.



1439
734



IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO SOLENNIS.

DE LUCE MINISTERIALI,

EX MATTH. V. 14.

Textus.

Græcus: Ὑμεῖς ἐστέ τὸ Φῶς τῆς κτίσεως.

Latinus Vulgatus:

Vos estis Lux Mundi.

Germ. Lutheri.

Ihr seyd das Liecht der Welt.

CAP. I. Ἐκλογικῶς.

De Analysis Grammatico Philologica.

I.



Textus Originalis omnis *Biblicæ*, vel *Theologicæ* Tractationis *fundamentum* est, non igitur sine causa *resolutio*, vel *evolutio* ejus *primum* locum occupat: nam, *textu* rectius *evoluto*, clarius inde patet *loci* cujusvis *sensus*, & plenius inde comparet *multiplex Oraculorum* usus. Hinc loco *primo* de *Textus* verbis *more* consue-
to nobis *agendum* erit.

z. *Textus* brevis est *sono*, sed *amplissimus sensu*, *angustus* *verbis*, sed *augustus rebus*: hinc *verba* *singula* *paucis* *contem-
plabimur*. Ὑμεῖς *pronomem* est, *vice* *præcedentis nominis* *positum*,

A

quod

quod secundum *alios* respicit *Christi presentes audientes*; secundum *alios, omnes fideles*, quos consequenter Christus in precedentibus notare voluit v. 3. seqq. secundum *alios, omnes Ecclesie Ministros*, qui καὶ ἀναλογίαι luminaria mundi vocari possunt, dum luce verbi mundanos homines illuminant; secundum *alios, solos Apostolos, & Oecumenicos verbi Doctores*, ad quos immediate Titulus *Lucis mundi Ministerialiter* respicere videtur, quæ sententia postrema non tantum analogia fidei, sed etiam textui maxime conveniens deprehenditur, sicut è seqq. apparebit.

3. Hoc loco saltem observamus, quod pronomen ὑμεῖς notabile sermonis pondus inferat, quoniã supponitur (1) δεικτικῶς, vel *ostensive*, quia digito quasi Christus Apostolos monstrare, præsentemq; *Lucis mundi* Titulum ipsis applicare voluit. (2) ἀποδεικτικῶς, vel *demonstrative*, quia proprium & apodicticum *Lucis mundi* subjectum per hoc pronomen ὑμεῖς indicavit. (3) μεταβατικῶς, vel *transitive*, quia pronomen hoc ostendit, quod à generalibus, qualia v. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. respectu *Christianorum, generaliter* proposuerat, ad *specialia, quoad Apostolos*, transierit, ὑμεῖς *Vos estis lux mundi*, quæ de causa personam tertiam v. 3. seqq. in secundam mutavit v. 11. *Beati estis &c. Gaudete & exultate* v. 12. *Vos estis sal terra* v. 13. *Vos estis lux mundi* v. 14. &c. (4) ἐμφατικῶς, quia non nisi cum insigni quadam *emphasis* præsens *Oraculum* pronunciare voluit, ὑμεῖς *Vos estis lux mundi*. (5) ἐκφωτιστικῶς, quia per notabilem *exclamationem*, elevata quasi voce, præsens dictum protulit, & pronomen ὑμεῖς, tanquam *exclamandi* particulam, adhibuit. (6) ἀντιθετικῶς, quia Christus eleganter hoc pronomen ὑμεῖς *Phariseis & Legisperitis* opposuit, utpote qui communiter affectabant, ut quilibet eorum diceretur, juxta Rabb. לור העולם נור *Lux Mundi*, vel, ut eos introducit *Paulus, Rom. II. 19. Confidit se ipsum esse ὁδηγὸν τοῦ δλωῦ, Ducem cæcorum* (qui nim. in tenebris meris ambulât, & lucis necessariò sunt indigi,) Φῶς τῶν ἐν σκοτεινῶν *lumen eorum, qui in tenebris sunt, Eruditorem insipientium, Magistrum simplicium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege.* Christus igitur hic ostendere voluit, frustra dici *Phariseos & Legisperitos* hoc elogio, cum non *lucem doctrinæ*, hoc est, *Verbum DEI,*

DEI,

DEI, sed doctrina tenebras, i.e. humanas traditiones, & vanas ἐγ-
λοθησκείας suis auditoribus proponant: Apostolis verò dicit:
ὕμεις, Vos autem estis τὸ Φῶς τῆ κόσμου, Lux mundi.

4. Ἔστ', quod est verbum substantivum, presentis, indicativi,
& quidem pluralis numeri, quod ab imperativo ἔστ' distinguitur,
cum imperativus sit paroxytonos, indicativus verò sit oxytonus.
Notanter autem Christus hic adhibet distinctè (1) verbum substan-
tivum, quia lux illa spiritualis, vel ministerialis Apostolorum, non
erat lux tantum accidentalis, sed vere spiritualis, quod ipsam sub-
stantiam verbi DEI, substantiam Spiritus sancti, cujus verbum
DEI vehiculum est, substantiam fidei (verā mysticā ὑπόστασιν Heb.
XI. 1.) mirabiliter complectitur, & hominis novi substantiam pro-
ducere deprehenditur. (2) est verbum presentis temporis, quod re-
spicit tempus Novi Testamenti, quia nox V. T. præterit, ἡ δὲ ἡμέ-
ρα ἤγγικεν, dies lucis nunc appropinquavit Rom. XIII. 12. tempus A-
postolici ministerii, quia tunc apparuit Φῶς μέγα Matth. IV. 16,
non modo ratione ipsius Messie, sed etiam ratione salutifere do-
ctrinae, quam Apostoli cunctis ἐν τῷ φωτι, vel in lumine prædicare,
debuerunt Matth. X. 27. tempus plenissimi, vel lucidissimi mysterii:
nam quod in Veteri Testamento per tenebrososa typorum & um-
brarum involucra, per vaticiniorum obscura tegumēta, per divi-
narum promissionum ænigmata, per tot secula fuit insinuatam,
& representatam, illud nunc Apostolorum temporibus, tanquam
clarissimum Evangelium, & evidentissimum nuncium, est manife-
statum, sicut Paulus testatur Rom. XVI. 25. 26. quod Evangelium
æternis temporibus tacitum, nunc per prædicationem Jesu Christi, &
Apostolorum, secundum revelationem mysterii patefactum sit. (3) Est
verbum indicativi, quia Christus hic disertis verbis indicat, Apo-
stolos fore lucem mundi, clarissimos Evangelii præcones, Oecumeni-
cos Doctores, & verbum lucis, doctrinam lucis, toti mundo poten-
ter & efficaciter indicaturos esse. (4) Est verbum pluralis numeri,
quia non unum Apostolum, sed plures, ipse vocavit, & in mun-
dum, veluti mystica luminaria, propter ejus per verbum illumi-
nationem, ablegavit: nam ut Christus est lux vera, quæ illuminat
omnem hominem, venientem in hunc mundum Job. I. 9. sic Apostoli

lucis hujus *oeconomis*, vel *dispensatores*, extiterunt, qui lucem veram, Christum Jesum, mundo per verbum obtulerunt: imo dedit verbum lucis ipse Messias cum magno exercitu Evangelistarum, lucis praëconum Ps. LXIIX. 12.

5. Τὸ Φῶς. Articulus τὸ neutiqvam *emphasis* caret, imprimis quia praëfens *Oraculum* tot constat *particulis*, quot *vocabulis substantialibus* (1) ὕμει; (2) τὸ, (3) τῷ: ὕμει; ἔστε τὸ Φῶς τῷ κόσμῳ: pondus igitur peculiare, maximeq; notabile, singulis vocabulis principalibus, singulis *particulis* annectere constituit, ut quilibet observare posset, hoc *Oraculum* maxime *ponderosum*, esse: nam *articulus* τὸ maximam *emphasis* obtinet, si respiciamus (1) ipsum Christum: quia de Christo Messia praëdictum erat haëtenus in Evangelistis, quod sit *lux mundi* (a) à Zacharia, Luc. I. 78. 79. quod sit *Oriens ex alto*, illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. (b) à Simeone Luc. II. 30. seqq. quod sit *salutare Domini*, quod paravit ante faciem omnium populorum (ut oculis suis illud, tanqvam *Solem justitiae* Malach. IV. 4. intuerentur) LUMEN ad revelationem Gentium, & *Gloriam plebis Israel*. (c) à Johanne Evangelista c. I. 4. 5. In ipso vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucebat, & tenebrae eam non comprehendebant v. 7. Johannes venit in testimonium, ut testimonium perbiberet de lumine, ut omnes crederent per illum: non erat ille lux; sed ut testimonium perbiberet de lumine (nim. Christo) Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. (d) ab ipso Christo Job. III. 19. Hoc est autem iudicium, quia Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem &c. (e) à Matthæo Evangelista, cap. IV. 16. ex Esa. IX. 1. Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione & umbra mortis, lux orta est eis. Ex his, & aliis, populus colligere poterat, Christum *immediate*, *solitarie*, *prorsus exclusive*, vel etiam *incommunicabiliter*, lucem esse: Sed Christus de suis *Apostolis* dicit: Vos estis τὸ Φῶς, nim. (a) *communicativum*, quod, à sole justitiae, Messia, splendorem communi-

muni-

municatum obtinet, ut omnibus per verbum, ejusq; prædicationem publicam, *mysticum splendorem conversionis & fidei* communicet. (β) τὸ Φῶς *subordinatum*, quod *Messia* subordinatur, & ad mundi spirituales illuminationem ministerialiter ordinatur. (γ) τὸ Φῶς *economicum*, per quod *Medias* illuminationem internam οἰκονομικῶς, & διακονικῶς, conferre mundo constituit. (δ) τὸ Φῶς *æcumenicum*, quod *Messias* per totum Mundum ad illuminationem mysticam ablegabit: ipse namq; visibiliter *missus est ad oves perditas domus Israel Matth. XV. 24.* cum sit *Minister solius circumcisionis Rom. XV. 8.* sed *Apostolis* dixit: *Euntes in mundum universum, & prædicate Evangelium omni creature Marc. XVI. 15.* (ε) τὸ Φῶς *continuum*, quia non tam ad *Apostolorum personam*, quam *doctrinam* respicit, & hujus respectu *Mundi lucem* eos constituit, quo respectu pariter dicit *Matth. XXII. 20. Ego sum vobiscum usq; ad seculi consummationem.* Sicut igitur *Christus* erat τὸ Φῶς *absolute*, sic *Apostoli* τὸ Φῶς erant, *ratione Christi, relate*, *Christus* σοφῶς, *Apostoli* διακονικῶς & οἰκονομικῶς, *Christus* *ratione rei*, sed *Apostoli* *ratione nostri* &c. (2) *Christi*, vel *DEI verbum*: nam *verbum DEI lux* est ipsa, sed *Apostoli* magis *lucerna*, sicut *Johannes Baptista* dicitur non τὸ Φῶς, ἀλλ' ἦν ἐκεῖνος τὸ Φῶς *Job. I. 8.* sed ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καίόμενος, καὶ φαίνων, ipse tantum erat *lucerna ardens & lucens*: sed cum *Apostoli* sint per & propter *verbum Apostoli*, propterea *Christus concretive* loquitur, *Vos estis τὸ Φῶς lux mundi.* (3) *Populum*, cui *Christus* hac ratione commendare voluit *Ministerium*, quod non immediate *Verbum Dei* per *raptum*, vel *enthusiasticum afflatum*, sed potius per *S. S. Ministerium* divinitus expectare debeant, qua de causa coram omni populo de *Apostolis* hoc publice profitetur: *Vos estis τὸ Φῶς*, *ratione præconij*, *ratione ministerii vestri*, nec aliud *Φῶς*, quam in *Apostolorum ministerio* mundus expectare debet. (4) *Apostolorum officium*, quod est τὸ Φῶς, *lux mundi*, quod à *DEO* mundo fuit ab æterno destinatum, ut τὸ Φῶς mundi fieret, à *Messia* nunc hoc tempore gratiæ solenniter ordinatum, ut post *Sandæi*

Spiritus copiosam effusionem mundi τὸ Φῶς esset: & per mirabilem defensionem atq; conservationem, τὸ Φῶς mundi per doctrinam suam ad seculi consummationem usq; maneret. (5) *Apostolorum actuale praconium*, quia praesens oraculum non tam ad officium, quam ad ejus actuale praconium, vel exercitium respicit: *Vos estis τὸ Φῶς mundi*: sicut enim τὸ Φῶς δεικτικῶς & ἀποδεικτικῶς, ὁρατῶς & ἐνεργητικῶς, actu dicitur illuminare: sic etiam tunc *Apostoli fuerunt τὸ Φῶς mundi*, quando δεικτικῶς digitis monstari, ὁρατῶς oculis videri ἀποδεικτικῶς in cordibus, per verbi lumen, splendor illuminationis observari, & ἐνεργητικῶς conversionis & fidei lumen oriri potuit.

6. Φῶς est per contractionem ex Φάσ, & hinc per circumflexum scribitur ad differentiam Φῶς, quod apud *Poetas Virum*, vel simpliciter *hominem* significat: Φῶς autē significat *lumen, lux*, quia Φάος ducitur, à Φάω luceo, splendo, mico. Τὸ Φῶς variè sumitur apud *Profanos autores*, varias etiam significationes apud *sacros Scriptores* consequitur. Nunc saltem observabimus ex *N. T.* quod Φῶς adhibeatur potissimum de *regno Gratiae*, sicut ex *plerorumq; locorum collatione* luculenter apparebit: interim tamē etiam de *regno potentiae, & gloria*, reperitur. Accipitur quoad *regnum Potentiae* (1.) de luce, vel lumine, in *regno potentiae*, (a) de luce creationis, quae dicitur aliàs *primigenia*, sic *Paulus* dicit, quod *Deus creator* jussit ἐκ σκοτῆς Φῶς λαμψαι, è tenebris lucem splendescere. (b) de luce naturalis conditionis *Matt. X. 27. XVII. 2. Marc. XIV. 54. Luc. XII. 3. XXII. 56.* (c) de luce artificialis illuminationis, quavis est *lux candela accensa Luc. IIX. 16.* & ipsa *candela Φῶς* appellatur *Act. XVI. 29.* Deinde quoad *regnum gloriae* non uno modo sumitur, & quidem (1) *Principaliter*, vel ἐξοχικῶς, accipitur de ipso *Deo*, tū *formaliter*, vel *essentialiter*, ἐπὶ ὁ Θεὸς Φῶς Ἰσθι quia *Deus lux est* I. *Johan. I. 5.* tum *causaliter*, vid. *Apoc. XXI. v. 33.* sicut dicitur *πᾶτὴρ τῶν Φῶτων*, *Pater, autor, & causa luminum Jacob. I. 17.* tum *materialiter*, quia dicitur de *DEO*, αὐτὸς Ἰσθι ἐν τῷ Φωτὶ, ipse est in lumine I. *Johan. I. 7.* item quod sit *Φῶς οὐκ ἄν ἴπῃσιν*, *inhabitans lucem inaccessam* I. *Tim. VI. 16.* (2) *Ministerialiter*,

rialiter, sicut angeli vocantur ἄγγελοι φωτός, angelicis II. Cor. XI. 14. quorum formam per fallacem transfigurationem Sathanas assumere dicitur, sic etiam Filii lucis, vel astra matutina Job. XXXII. 7. nuncupantur. (3) Materialiter, sicut in regno gloria dicuntur ἐν τῷ φωτὶ ambulare Apoc. XXI. 24. cives gloriae, vel electi, quia de causa suo modo fideles etiam filii lucis appellantur Luc. XVI. 8. Eph. V. 13. Denique quoad regnum gratia multa sunt acceptiones τῆς φωτός. Breviter, quoad praesens oraculum dicimus, quod τὸ φῶς sumatur vel magisterialiter, de Christo, qui dicitur τὸ φῶς, lux, ἀπλῶς Job. I. 5. τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων v. 5. τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν v. 9. τὸ φῶς τῆς κόσμου c. II. X. 12. τὸ φῶς τῆς ζωῆς ibid. &c. vel ministerialiter, & sic iterum dupliciter accipitur (1) κατ' ἀλήθειαν, secundum rei veritatem, ut h. l. (2) κατὰ φαντασίαν, secundum vanam hominum persuasionem, et Rom. II. 9. quando sibi Pharisei persuadebant, se φῶς esse τῶν ἐκ σκοτεινῶν, cum nihil minus fuerint, quam lux d. trinae, vel Ecclesiae.

7. Τὸ κόσμος, quod nomen κόσμος pariter articulum ἐμφάσει, praefixum habeat, quia Christus loquitur de tali luce, quod est τὸ φῶς τῆς κόσμου, certae lux, certi mundi, notabilis lux, notabilis mundi, emphatica lux, emphatici mundi: quia de causa articulus sumitur, h. l. (1) σχετικῶς, relate, cum haec lux Apostolorum non ad omnem mundum extendatur, sed potius ad certum mundum, cui lux ejusmodi divinitus destinata, suo certo modo referatur. (2) ὁριστικῶς, determinatè, quia correlatum, ratione sui relati, communiter determinatur, ita cum lux Apostolorum sit mysticum, non ad subjectum minus proportionatum ampliatur, sed potius ad subjectum sibi conveniens & accommodum per hunc articulum determinatur. (3) ὁρισματικῶς, vel definitivè, sicut enim τὸ φῶς definitivè formale dicitur inferre, sic etiam vox τῆς κόσμου materiale definire videtur, ut inde plena resultet Apostolorum descriptio, quid officii ratione sint, & dicantur, videlicet quod nihil aliud sint, quam lux mundi.

8. Κόσμος in scriptura, sicut etiam in profanis autoribus varias significationes admittit. Nos modo notamus, quod hic loci

loci sumatur (1) non *Etymologicè*, pro quodam *ornatu*, quia vox ista, quoad nativam acceptionem, *ornatum* significat, sic accipitur 1. *Pet. III. 3.* de *ornatu muliebri*. (2) nec *Physicè*, sive respiciamus significationem *immediatam & collectivam*, quæ designat *systema cæli & terræ, & omnium creaturarum*, quæ per naturæ conditionem illis continentur *Matth. XIII. 35. XXV. 34.* sive *mediatam & synecdochicam*, quia *Mundus infimam hujus Mundi partem, vel nostrum Mundum*, id est, *terram* denotat *Matth. XIII. 38. Ager est Mundus*, in quo nim. *seminati sunt boni simul & mali homines. Veni eis κόσμον, in Mundum*, id est *terram*, dicit Christus *Joh. XVI. 28.* (3.) nec *abusivè*, sicut per abusum *Calviniani*, juxta scripturam, *significationem fictam* vocabulo *Mundi* tribuere contendunt, quod sumatur pro *solis Electis*, hinc inter alia *locum præsentem* etiam detorquere conantur, *Vos estis lux mundi*, h. e. *Electorum*, sed hoc inferius notabitur. (4.) nec *restrictè* per *metonymiam*, pro *solis reprobis*, sicut accipitur 1. *Cor. VI. 2. Sancti τὸν κόσμον κρινῶσι, mundum judicabunt.* (5.) Sed *absolutè* per *metonymiam* pro *omnibus hominibus, in terra degentibus*, quibus Apostoli *lucem verbi* proponere, *lucis instar* sua doctrina *lucere* debuerunt, sicut eadem significatio passim in scriptoribus sacris *Novi Testamenti* reperitur.

CAPUT. II.
DE ANALYTI LOGICO-THEOLOGICA.

I.

Objectum *Tractationis* præsentis consideratur, & quoad *Onomatologiam*, & quoad *Pragmatologiam*. Quoad *Onomatologiam* gemino *Titulo* gaudet, quia dicitur (1) *Lux mundi*, nim. *materialiter*, quoad *textum*, & *verborum sonum*. (2) *Lux Ministerialis*, verò *formaliter*, quoad *præsentis tractationis statum*, & *genuinum verborum sensum*. Uterq; *Titulus* satis *emphaticus* est, uterq; *pariter complexus* est, non *incomplexus*, quia cum res plures sint, quam voces, & rerū *notiones*, vel *appellationes*, ideo *necessitas ipsa* postulavit, & *usus etiã* satis *accommodè* illud manifestavit,

flavit, non omnium rerum dari propria, vel etiam incomple-
xa nomina, sed conjunctis sapius terminis, ad res ipsas expri-
mendas, utendum esse.

2. Quoad priorem terminum, dicitur nostrum *Objectum*
in Textu *Lux mundi* (1) non φυσικῶς, vel *naturaliter*, sicut
communiter in natura, vel *regno potentiae*, *Sol mundi lux* appel-
latur, cum omnem mundum, & omnes creaturas suo lumine
splendidissimo, propter luminis excellentiam & abundantiam,
juxta Creatoris intentionem & dispositionem, naturæ conside-
rationem, & quotidianam observationem, illuminet, unde lu-
minare magnum appellatur, cum luce sua diem efficiat, & omni-
bus creaturis *lumen* præbeat. Gen. I. 16. (2) ἀπλῶς, sic *absolutè*
Deus est *lux mundi*, quia tanquam *creator καὶ ἰξοχὴν lux est, & au-*
tor etiam Solis, veluti naturalis mundi lucis. *DEUS* totus totus
lux est, DEUS totus totus *oculus est, DEUS* totus totus *speculum est.*
(3) χαριστικῶς, vel σπυρικῶς, quatenus *lux mundi virtutem illuminandi*
mysticam, & supernaturalem salvandi virtutem inferre dicitur,
& hac ratione sumitur (4) ἰξοχικῶς, vel *eminenter*, pro *Christo*
Salvatore, qui vocatur τὸ Φῶς τοῦ κόσμου, *Lux mundi, Joh. IIX. 12.*
quia mundi Salvator est Joh. IV. 42. ubi legitur illustris *Samari-*
tanorum Confessio verbis emphaticis: Ἔτος ἦν ἀληθῶς ὁ σωτὴρ
τοῦ κόσμου, ὁ χριστός. *Hic est vere Salvator mundi, Christus.* (b) Διανο-
μικῶς, vel *ministerialiter*, sicut h. l. *Apostoli lux mundi* vocantur.
(3) ἰργαυικῶς, sic *verbum DEI* rectissimè *Lux mundi* nuncupatur,
cum certum sit, quod ipse *Christus*, per *verbum hoc, mundum il-*
luminet, & hoc sit unicum medium, solitarium organum, & proba-
tissimum artificium, quo mediante mundum Apostoli, tanquam
Evangelii præcones, illuminarunt.

3. Quoad posteriorem, dicitur *Objectum Lux Ministerialis,*
tum quia suos *Apostolos, tanquam lucis æconomos, & ministeria-*
les promos condos, hic *Christus* alloquitur: *Vos estis lux mun-*
di: tum quia *Christus* h. l. non aliam, quam *Ministerialem sen-*
suum intelligere vult, potest, atq; debet: non vult, quia, juxta vo-
luntatem rectissimam suam cuiq; *Christus* directe tribuit, Mi-
nistis

B

nistris igitur Apostolis non aliam, quam ministerialem, lucem adscribere voluit; nec potest, non equidem propter potentia sua defectum, cum ipse sit omnipotens Gen. XVII. 1, cui etiam secundum H. N. omnis Data potestas in cælo & in terra Matt. XXII. 18. sed ob *subjecti statum*, quia nim. Apostoli, tanquam *Ministri*, capaces alius, quam *Ministerialis*, lucis fieri non possunt; neq; debet, ne sibi plus justo detrahatur, sed Apostolis plus justo tribuere videretur: tum quia nihil aliud sunt Apostoli, quam *lux Ministerialis*, & ratione principii, videl. Christi, quia sunt *servi Christi* 1. Cor. IV. 1. in eius nomine, jussu pariter ejus, & autoritate, vel potestate, simul etiam virtute, vel efficacia, *lumen mysticum* dispensant: & ratione medii, quia serviunt *verbo lucis*, & non nisi per illud mundum illuminare possunt: & ratione objecti, quia *mundo*, vel *Ecclesie*, sua quadam illuminatione ministerialiter inservire perhibentur.

4. Luci vero suos Apostolos comparare voluit, juxta *Pelarg.* in quæst. ad *Matth.* p. 69. triplicem ob causam (1) quia sicut inter omnes DEI creaturas prima fuit lux: ita Apostoli primi in Christo per verbum Dei facti in istis mundi tenebris, quasi lux nova, *fidei, gratiaq;* ministri. (2) ut lucis est illuminare, ita Christi *Ministrorum*, audientium illustrare pectora *Verbo Evangelii*. Propterea recte *Chrysostomus*: Sicut, inquit, *Doctores propter bonam conversationem sunt sal, quo populus conditur: ita propter Verbum doctrine sunt lux, qua ignorantes illuminantur.* Hilarius: *Natura luminis est, ut lucem, quocumq; circumferatur, emittat, illatumq; adibus tenebras interimat, luce dominante.* Igitur mundus, extra cognitionem DEI positus, obscurus tenebatur ignorantia tenebris: cui per Apostolos scientia lumen invehitur, & cognitio Dei claret, & de parvis eorum corpusculis, quocumq; inceserint, lux tenebris ministratur. *Emislenus*: *Quod Sol & Luna præstant corpori: hoc Apostoli & Doctores præstant anima: illi illuminant oculis mentis.* Sunt igitur *Lux mundi*, quia majorem & meliorem mundi partem illuminant. (3) quia cum vera luce, Christo, semper conversati, ideoq;

739

ideoq; ab illa *lumen* quoddam, vel *lux* appellati, ut *Nazianzeno* placet, *Orat. 20. in Sanctum Baptismum*: presentem verò *Metaphoram* explicavit, atq; ad omnes fideles accommodavit *Apostolus* ipse ad *Philip. I. 15. Sicis irreprebensis, & sinceri filii Dei, inculpati in medio nationis pravae ac perversae: inter quos micatis, ut luminaria in Mundo*. Est igitur appellatio non propria, sed *Metaphorica*, ratione verbi, neq; propria, sed *communicata*, ratione principii, vel *Christi*, non *physica*, sed *mystica*, ratione rei, non *autoritativa*, sed *oeconomica*, ratione, modi &c.

5. Quoad *Pragmatologiam* notamus rem ipsam, & quidem (I) *Rei connexionem*, quomodo cum *antecedentibus* hæc *Lux mundi* cohaereat, & cur h. l. *Christus Apostolos* hoc *Titulo Lucis mundi* notare voluerit? Nam *connexio* demonstrari potest (1) quoad *immediate precedentia*, quibus *Apostolos* v. 13. *Sali* comparaverat: *Vos estis Sal terra*. *Chrysost. hom. 15. in Matth.* duas rationes affert (a) *quia Doctores comparantur Sali*, propter *vita perfectionem*, & *honestam conversationem*, quo *populus canditur*: sed *comparantur luci*, propter *verbum doctrina*, qua *ignorantes illuminantur*: prius autem est *bene vivere*, quam *bene docere*. Et ideo, postquam *Apostolos* vocaverat *sal*, nunc etiam eos appellat *lucem*. (b) *quia sal rem conservat in suo statu*, ne in deterius mutetur, *lux* autem ad melius perducit *illustrando*: qua de causa prius *Apostoli* vocati sunt *sal*, respectu *Judaorum & Christianorum*, à quibus *Deus cognoscitur*, quos servat *DEi scientia*: sed dicti sunt *lux* propter *gentes*, quos ad *scientia lumen* perducunt. (c) Sic à *Guidon. Carmel. in Quatuor Unum* p. 157. additur hæc ratio: Ut tam in *sale*, quam in *luce* intelligatur *Apostolorum doctrina*; sed in *sale*, quod *solis ardore*, aquæ cum terra commistione generatur, intelligitur *hominis generatio per Baptismum*, in quo *fides* datur: & ita dicti sunt *sal*, propter *doctrinam fidei & credendorum*: sed dicti sunt *lux*, propter *doctrinam morum & agendorum* Sic, inquit, *luceat lux vestra coram hominibus*, scil. quoad *claritatem morum & honesta conversationis*: præcedit a. *fides*, velut *fundamentum*, sine qua impos-

sibile placere Deo Heb. XI. 6. opera bona, quæ sine fide fiunt, mortua sunt; quia justus ex fide vivit Rom. I. 17. & quod non est ex fide, peccatum est, Rom. XIV. 23. Igitur primo dicti sunt sal, propter doctrinam fidei, & postea dicti sunt lux, propter claritatem morum & bonorum operum. Chrysof. d. l. dicit super hæc his verbis: Prius sal posuit, deinde lumen, ut discas, quantum sit verborum urentium beneficium, & honestæ doctrinæ commodum. Hæc etenim stringit, & non permittit effluere, facitq; attentius ad lumen virtutis adspicere, ad quam, velut apprehensa manu, pertrahit erudientes. (d) Ratione differentie legis & Evangelii, quia comparantur Apostoli sal, ratione legis, luci, ratione Evangelii: lex autem ordine præcedit Evangelium. (e) quia sal conferuntur ratione conservationis, luci, ratione illuminationis; conservatio prærequiritur ab illuminatione, quod enim non conservatur, sed vel annihilatur, vel corrumpitur, illud illuminari nequit: (f) quia sal comparantur Apostoli, quoad condimentum, luci, propter ornamentum; ornamentum sequitur, condimentum in cibis antegreditur. (g) Apostoli sal conferuntur propter saporem, luci propter splendorem, sapor est internus, splendor externus, sapor à priori, splendor à posteriori requiritur. (h) Ratione nostræ conditionis, quia propter nostram corruptionem sale prius opus est Apostolis, sed, propter nostram regenerationem & illuminationem, opus est luce: sicut autem corruptio præcedit restorationem & illuminationem, sic etiam comparatio salis præcedit comparationem lucis. (i) quia sale fit mundatio, sed mundationem sequitur splendoris per lucem communicatio. (k) quia sal est hieroglyphicum sapientiæ, hinc dicitur sal sapientiæ, lux vero Symbolum notitiæ, sapientiæ prior est notitiæ nostræ, cum sapientiæ notitiam nobis communicet &c.

6. (2) *Quoad mediate præcedentia*: Sic Christus in hac illustri concione montana prius de fine verba fecerat, & maxime Beatitudines Christianorum commendaverat v. 3. seqq. postea de mediis sollicitus erat, quibus tanta beatitudo miseris mortalibus contingere posset. Hæc media duplicis generis erant, (1) perso-

perfo-

1451.
740

personalia, vel Ministerialia. (2) realia, vel instrumentalia: qua de causa Ministros Apostolos sub pulcherrimis Symbolis commendare voluit v. 13. 14. 15. 16. sub figura salis, lucis, civitatis: Iplum autem Verbum v. 17. seqq. ceu Beatitudinis medium, introduxit, & quidem verbum legis primo loco v. 17. seqq. verbum Evangelii, tanquam verbum justitiae v. 20. ut eo facilius, & feliciter verè fideles ad praxin pietatis manducere posset.

7. (II) Ipsius Rei conditionem, qua ratione Lucem Ministerialem potissimum quoad causas scrutari, & quoad proprietates contemplari debemus. Notamus igitur Primo Causam Efficientem, quæ non est unius generis, cum vulgo dicatur, quod alia sit Impulsiva, alia meritoria, alia operativa.

8. Impulsiva Lucis Ministerialis causa, vel est interna, seu προηγυμένη, vel Externa, seu προαγαγκληκή: hæc dicitur partim hominis miseria, per lapsum, & subsecutâ corruptionem, astu Cacodæmonis, nobis hominibus illata, quia DEI praxis est, miseris adspicere, & in miseria sua promte respicere Ps. IX. 14. X. 14. XXV. 18 Luc. I. 52. partim hominum miserorum ignorantia, qui versantur in meris tenebris, imo sunt mera tenebra Job. I. 5. Act. XXVI. 18. Ephes. IV. 18, V. 8. Has tenebras Deus per lucem ministerialem Apostolorum dissipare, vel prorsus removere voluit, quia misit eos aperire oculos eorum (nim. in tenebris sedentium) ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satane ad Deum. Illa verò dicitur Gratia DEI salutifera, verè nostras mentes illuminans, unde verbum Dei, tanquam verbum lucis, vocatur ὁ λόγος τῆς χάριτος, Luc. IV. 22. Act. XIV. 3. χάρις & ἀλήθεια non raro conjunguntur Job. I. 14 17. χάρις καὶ σοφία Act. VII. 10. & Apostoli suas Epistolas, & omnes labores, mentes hominum illuminantes, à Gratia DEI deduxerunt, sicut vota, scriptis Epistolis præmissa, testantur, adeoque, quoad omne lucis, vel illuminationis mysterium, semper ad gratiam DEI, ceu lucis ministerialis fontem, respexerunt Rom. I. 7. 1. Cor. I. 3. &c. imò quilibet ipsorum in hoc lucis ministerio cum Paulo statuit 1. Cor. XV. 10. Gratia Dei sum, quod sum, nim. in lucis officio, in lucis Ministerio, in lucis ministerialis

B 3 rialis

rials exercitio &c. & gratia Dei in me (vid. quoad illuminationem mundi) vacua non fuit, sed abundantius aliis omnibus (quoad hanc illuminationem, dum, tanquam vas electionis, portavi nomen Jesu coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel Act. IX. 15. aperire oculos ipsorum, ut convertantur à tenebris ad lucem c. XXVI. 18.) laboravi. Non ego autem (nim. illuminando laboravi) sed GRATIA DEI (illuminans), qua mihi adest. Sine DEI gratia nulla datur lux Ministerialis, nulla potest esse, nulla prodesse.

9. *Causa meritoria* Lucis Ministerialis Christus est, Sol justitiae Mal. IV. 2. qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum Job. I. 9. tanquam salutare Domini, quod paravit ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium Luc. II. 30. seq. siquidem ipse plenus gratia & veritatis Job. I. 14. gratia & veritas per ipsum facta Job. I. 18. cum ipse nobis à DEO sit factus justitia, redemptio &c. I. Cor. I. 30. consequenter etiam lux, ut vere dicatur nostra lux, nostra salus Ps. XXVII. 1.

10. *Causa operativa*, vel est Principalis, nim. Deus unus in essentia, Trinus in personis, Nam omninò Lucis Ministerialis causalitas refertur ad Deum ὁμοῦς, quoad essentiam unum, (1) quia Deus ipse Lux est, I. Job. I. 5. (2) quia fons est omnis luminis, hinc etiam Pater luminum appellatur Jac. I. 17. (3) quia Deus ὁμοῦς est autor Ministerii, sic etiam rectissime causa ministerialis lucis dicitur. (4) quia solus Deus est cordium autor & dominator, & solus etiam illorum illuminator Ps. XIII. 4.

11. Refertur etiam hæc causalitas ad Deum ἑτεροῦς, & quidem (1) ad Deum Patrem, qui lucis hujus Ministerialis autor est principalis (1) ratione paterna gratia, quia Deus Pater, ratione gratia peculiaris, lucem ministeriale Apostolorum mundo destinavit, ut Paulus in exordiis Epistolarum testatur, qui ministerialem illuminationem à Gratia Patris auspiciatur Rom. I. v. 7. I. Cor. I. v. 3. II. Cor. I. 2. Gal. I. 3. Eph. I. 3. Phil. I. 2. Col. I. 2. I. Thes. I. 1. II. Thes. I. 1. &c. à quo fundamentum omnis illuminationis I. Cor. III. 10. Paulus deducit, cui labores omnes illuminationis ministerialis tribuit I. Cor. XV. 10. (2) ratione paterna benevolentia, qua motus ab æterno de-

no decrevit, & constituit per stultitiam ministerialis prædicationis & illuminationis homines salvare *I. Cor. I. 21.* (3) ratione *vocationis paternæ*, quia *Deus Pater vocat Apostolos*, & alios ministros, ad *ministerialem illuminationem*, sicut *Pater familias* vocat operarios in vineam *Mattb. XX. 1.* Hinc Paulus dicit *Gal. I. 15. 26.* *Deus vocat me per gratiam suam, ut revelaret Filium suum per me, ut ipsum per Evangelium prædicarem inter gentes.* (4) ratione *missionis paternæ*, quia Christus ipse frequenter ad eam provocat *Mattb. X. 40. Job. IV. 23.* & passim alibi, *suamq; vocationem, & Apostolorum*, hoc in casu non inconvenienter æquiparat *Job. XX. 21.* *Sicut me misit Pater, ita & Ego mitto vos.* [5.] ratione *paterne energie*, quia Deus Pater olim *πολυμερῶς, καὶ πολυτρόπως*, h. e. *multifariam, & multis vicibus locutus est Patribus per Prophetas, novissimis diebus locutus est per Filium. Hebr. I. 1.* [6] ratione *denominationis paternæ*, quia *πατὴρ τῶν Φάτων*, *Pater luminum* appellatur, & ad *Deum Patrem* hac denominatione respectus habetur.

12. (2) Ad *Deum Filium*, quia ratione dicitur hic *Lucis ministerialis causa principalis*, (1) quoad *æternum sapientia attributum*, quia Filius est *æterna Patris sapientia*: hoc autem maximè sapientiæ celesti, vel substantiali, fuit curæ, quo mortalibus per lapsum obscuratis & obtenebratis nova *lux ministerialis* in Domino contingeret. (2) quoad *æternum DEI consilium*, quod Filio DEI proprium, cum ea de causa dicatur *καὶ ἐξοχὴν consiliarius Esa. IX. 6.* ad salutem humani generis hoc consilium vel maximè respicere dicitur: sed ad consilium salvationis etiam pertinet, & necessario præcedit consilium *illuminationis*. (3) quoad *primum exemplum*, quia *Filius DEI* statim in paradiso, post naturæ lumen expulsam, & tenebras à Diabolo per hominum corda disseminatas, *Evangelium lucis* promulgavit, & *illuminationis primæ* probatissimum artificium monstravit *Gen. III. 15.* (4) quoad *continuum Testamenti Veteris exercitium*, quia, tanquam *λόγος Patris*, *præco principalis* extitit, & omnes *Patriarchas* atq; *Prophetas* officio *ministerialis illuminationis* instruxit, eaq; de causa singulariter *Urim, & Tbumim, B. Luth. Recht und Recht/Israelitis*
ordi-

ordinavit. *Exod. XXIX. 30. Levit. IX. 8.* Eadem de causa *λογος* etiam passim in Scriptura Testamenti Veteris introducitur. (5) propter *Biblicum & publicum elogium*, quia dicitur ut *λογος τὸ Φῶς Job. I. 4. seqq. ἀπὸ υἱοῦ αἰ τῆς σοφίας τὰ πατρὸς Hebr. I. 3. & In Niceno Symbolo, Lumen de Lumine, Filius Lumen de Lumine Patre, cum omnis illuminationis spiritualis sit causa.*

13. [3.] Ad Deum Spiritum sanctum, qui pariter est *causa principalis Lucis Ministerialis*, tum quia *fluvius igneus* est, emanans à *facie Antiqui dierum*, *Dan. VII. 10.* nim. inter alia propter illustrem *fatis ministerialem illuminationem*: tum quia *nubes* illa dicitur *lucida*, quæ *Spiritum Sanctum* in monte transfigurationis repræsentavit, & Apostolos obumbravit *Matth. XVII. 5. ministerialis lucis* copiosissimam rationem demonstravit: tum quia *Spiritus sanctus* in igne primum in die Pentecostes apparuit, & *Ministerii* rationem sic ostendit, quod nim. potissima ratio *Ministerii* consistat in *illuminatione ministeriali*: tum quia totum *ministerium* est *Ἀλακρία ἔ πνεύματ* II. Cor. III. 8. adeoq; *Ἀλακρία* etiam *luminis* attendere dicitur.

14. Deniq; refertur etiam *Lux Ministerialis ad Christum* ἰσοπρωτοπλάστως, quoad *singularem appropriationem*, quia *Christus* est *causa principalis* omnis *ministerialis illuminationis*, tanquam *verus Messias*, quoad *utramq; naturam*, quod probatur (1) *ex illuminatione protoplastorum paradisiaca*, ubi *Christus Messias* primus *verbi lucem* publicavit, eaq; protoplastorum corda, per lapsum horrendum obscurata, spiritualiter *illuminavit*, idq; tanquam *Sol iustitie*, qui primum ibidem ortus est, velut *Sacerdos & Propheta* magnus, suo merito fecit. (2) *ex illuminatione fidelium V. T. perpetua*, quia, tanquam *sapientia DEI*, vel *λογος Patris*, omnem *mysteriorum revelationem*, & consequenter *fidelium illuminationem*, instituit. (3) *ex appellatione emphatica*, quia dicitur *lux magna Esa. IX. 1. Matth. IV. 16. lux καὶ ἐξοχὴ Job. I. 4. Lux vita, ibid. lux hominum, τὸ Φῶς τῶν ἀνθρώπων, ibid. τὸ Φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνων v. 5. τὸ Φῶς τὸ ἀληθινὸν v. 9. τὸ Φῶς, ὃ φωτίζει*, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc mun-

mundum *ibid.* τὸ *ὄσιν τὸ ὄσιν* *Job. II. 12.* τὸ *ὄσιν τὸ ὄσιν* *ibid.* &c. nam omnes hæ, similesq; denominationes *causaliter* accipiendæ veniunt. (4) *ex meritoria causa*, prout notavimus *th. 9.* (5) *ex constitutione primaria*, quia Christus hoc etiam loco suos *Apostolos in lucem mundi* principaliter constituit dicens: *Vos estis lux mundi*: nim erant *lux mundi*, non *ex sui conditione*, sed *ex Christi constitutione*, non *ex natura proportionis*, quia secundum naturam corruptam *cæci* cum aliis erant, sed *ex gratia*, vel etiam *lucis gratiose collatione*, quæ per Christum fiebat, qui *plenus gratiæ* erat, & *veritatis* *Job. I. 14.* ex cuius plenitudine sic etiam *Apostoli gratiam pro gratia* accipere debebant *v. 16.* non *ex propria dignitate*, sed *ex gratuita Christi benignitate*, non *ex laboriosa quadam operatione*, sed *ex gratiosa Christi donatione*, non *ex humana meditatione*, sed *ex divina inspiratione*, vel *illuminatione*, non *ex suo quodam artificio*, sed *ex divino beneficio*, non *ex materiali possessione*, sed *ex ministeriali Christi subordinatione*, non *ex proprio studio*, sed *ex Christi verbo*; nam hæc *Christi verba* fuerunt ipse *efficacissima pondera*: hæc *Christi dicta*, *Vos estis lux mundi*, *vera statim fuerunt facta*, quia *lux mundi* simul evaserunt, secundum illud: *ipse dixit, & facta sunt*, *Pf. XXXIII. 9.* (6) *ex communicatione omnimoda*, quia Christus est *Sol justitiæ Malach. IV. 2.* penes quem propria *sedes omnis lucis spiritualis*, *corpus totum lucis ministerialis*, *fons & scaturigo lucis doctrinalis*; hic *promus condus lucis salutaris*, *æconomus summus lucis cælestis*, *Dominus absolutus lucis ministerialis*, qui solus omnem ministerialem *lucem* conferre potuit, ut verò *Deus*, & solus etiam hoc facere debuit, tanquam *unicus Mediator Dei & hominum*, *Homo Christus Jesus*, qui seipsū dedit *precium redemptionis pro omnibus* *1. Tim. II. 5.* Hic igitur *solus* *communicat lucem ministerialem*, hic *omnibus* eam *communicat*, hic *semper* *communicat*, sine cuius *communicatione*, nec in *Apostolis*, nec in aliis *ministris*, quicquam *lucis ministerialis* invenitur.

15. Vel *Ministerialis*, quæ non est *Moses*, per quem *DEUS Aarepem* vocavit *Exod. IV. 15. 28. 30.* c. *XXIIX. 1. XXIIX. 4.* ad officium

C

cium

eium consecravit *c. XL. 12. 14.* & in officio confirmavit *Num. XVII. 1. seqq.* nec *Elias*, qui vocavit *Eliseum I. Reg. XIX. 16. 19.* nec alius *Propheta Veteris Testamenti*: neq; *Johannes Baptista*, *præcursor* & *Angelus Messia*, *Malach. III. 1. Matth. XI. 10.* *maximus inter natos mulierum*, *v. 11.* qui Christum ipsum baptizavit *Matth. III. 16.* sed potius ipsæ *Messias*, qui *maximus Patris servus Esa. XLII. 1. LIII. 13.* *Minister Circumcisionis Rom. XV. 8* *Legatus & Angelus DEi maximus*, ut passim introducitur *Esa. LXI. 1.* *Apostolus & Pontifex Confessionis nostræ Heb. III. 1.* *Summus in domo Patris Oeconomus Matth. XX. 8.* & verè *Ministrisimus*, ut hodie nonnulli loqui consueverunt. Hic ipse *ministerialiter* verbum in diebus carnis prædicavit, ut *Evangelistarum* historia testis, *ministerialiter* insuper Apostolos vocavit, in forma servi, quam adsumserat *Phil. II. 8.* *ministerialiter* etiam Apostolos in *Lucem mundi* coram omnibus ordinavit. *Magister* hic *lucis* etiam est *minister lucis*, ejusq; mirabilis in Apostolos dipentationis.

16. Vel *Instrumentalis*, quæ solum *DEi verbum*, nim. *verbum generale*, quod est *vocationis ad Apostolatam*. *Seqvere me Matth. IX. 9.* *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum c. IV. 19.* *verbum Apostolica instructionis Matib. X. 2. seqq. 5. seqq.* *verbum Apostolica designationis, vel inaugurationis*, ut quando h. l. dicit: *Vos estis lux mundi*: quæ verba non tantum *emphatica* sunt, prout cap. 1. vidimus, sed etiam *causaliter efficacia*, & *operantia operantia*, quia *dictum hic factum*: nam quemadmodum olim in creatione dixit circa primum creationis exordium *Gen. I. 3.* *Fiat lux, & facta est lux*, sic etiam h. l. circa primum mundanæ reformationis initium dixit, *Vos estis lux mundi*, sicq; per & propter hoc *Christi verbum*, *Apostoli lux mundi* statim extiterunt. Et sic verbum hoc non tantum *lucis ministerialis indicium*, sed etiam *productionis ejus medium*, *essentia ministerialis lucis symbolum*, & *certissimum ac efficacissimum* hujus *lucis organum* est. *Verbum* deniq; *Ministerialis confirmationis Job. XX. 21. 22. 23.* reperitur.

Causa

17. *Causa Materialis* varios alios respectus admittit, quia dicitur alia *ex qua*, alia *in qua*, alia *circa quam*. *Ex qua materia lucis* hujus *materialis* proprie non datur, si quis tamen ἀναλόγως eam considerare, *lucisq; ministerialis actus* *partiales*, instar *partium*, *totum ministerium lucis* ingredientium, & constituentium, ac *absolventium*, hic *materialiter* spectare voluerit, id suo modo fieri potest. Quia ratione *lux ministerialis* constituitur partim per *lucidam predicationem*, per quam convertuntur homines à *tenebris* ad *lucem*, Act. XXVI. 20. partim per *lucidam conversionem*, quia *predicationem* sequitur *conversio*, quia mediante Christus Jesus peccatores poenitentes illuminat, quando nim. à *mortuis* ad *vitam*, à *tenebris* ad *lucem* resurgunt Eph. V. 14. partim per *lucidam regenerationem*, quia tanquam *illuminati* per *baptismum* regenerantur, unde *Baptismus* olim *Patribus* Φωτισμός, vel *illuminatio*, dictus, partim per *lucidam conservationem*, quia nim. per ministerium fideles per *canam Domini*, tanquam per *lucis pabulum*, conservantur, dum *pane vite*, videl. *corpore Christi*, & *sanguine vivifico* cibantur, quia ratione Christus est *vita hominum*, *vita* verò hæc est τὸ Φῶς τῶν ἀνθρώπων, *lux hominum*, Job. I. 4.

18. *Materia in qua* dicitur alias *subjectum*, quod non est *luminare physicum*, nim. *sol*, *luna*, vel aliud *corpus lucidum*, cum illa corpora sint *naturalia*, sed hæc *lux* verè *supernaturalis* est, illa sunt *materialia*, hæc *lux ministerialis* est, illa sunt *regni potentie*, sed hæc *lux* unicè *regni gratie* dicitur: neq; *subjectum* hujus *lucis* est *Deus gloriosus*, qui *totus totus lux* est, in quo *tenebrae non sunt ulla* I. Job. I. 5. ille enim *lux* est *independenter*, hæc *lux* est *dependens*, ille dicitur *lucis magisterialis & infinitæ* *subjectum*, sed hæc *lux* est *ministerialis*, & *finite conditionis*: neq; hujus *lucis ministerialis subjectum* dicitur esse *Christus*, qui quidem ratione *DEitatis* est ἀπαύρασμα Ἰησοῦ δόξης τῆς πατρὸς Heb. I. 3. *splendor & refulgescencia gloria Patris*, vel etiam *lumen de lumine*, juxta *Symbol. Nicenum*: & ratione *humanitatis* etiam *lux* est Esa. LX. 1. & ratione *utriusq; nature*, quoad

officium, lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum Job. I. 9. sed quia lux vere ministerialis est, ideo Christo, convenire non potest: qui licet sit servus, ratione status exinanitionis Esa. XLII. 1. & in servili forma humilis apparuit Phil. II. 8. tamen etiam est Christus Dominus in civitate David Luc. II. 11. sed subjectum hujus lucis ministerialis dupliciter considerari potest, vel πρῶτος & αὐθις, sic Apostoli subjectum sunt hujus lucis ministerialis, quod h. l. Christus monstrat, quando dicit: Vos estis lux mundi: vel δευτέρος & ἐμμέστος, sic, mediante doctrina Apostolorum, etiam alii Ecclesie Ministri lux mundi nuncupari possunt.

19. Dicuntur autem Apostoli Lucis Ministerialis subjectum (1) non primarium, quod Christus est Job. XIX. 12. sed secundarium, cum non primario, sed secundario ministerialis illa lux Apostolis competat. (2) Subjectum non proprium, quasi per se, vel ab intra, vel etiam essentialiter, Apostolis lux illa conveniat, sed communicatum, quia nim. lux tantum Apostolis, per Christum communicata fuit: sicut enim Sol proprium habet lumen, & aliis corporibus naturalibus lucem suppeditat, ut in iis etiam communicatum lumen reperiatur; sic etiam Christus est Sol justitiae Malach. II. 2. Sol plenus veritate Job. I. 14. Sol plenus sapientia, imò ipsa sapientia Prov. XIX. 1. nobis etiam à Deo factus sapientia I. Cor. I. 30. Sol omnis doctrine, vel scientiæ, cum omnes thesauri sapientiæ, vel scientiæ, velut in sole quodam, in ipso sint absconditi Col. II. 3. nim. ut ex ejus plenitudine, sicut gratiam pro gratia Job. I. 16. sic etiam veritatem pro veritate, sapientiam pro sapientia, doctrinam pro doctrina, tum Apostolatum etiam alii Ministri fideles, quisq; secundum gratiam sibi datam, & mensuram sibi congruam, accipere possit. (3) subjectum non immediatum, quasi videl. Apostoli simpliciter, & immediate, sint hujus lucis doctrinalis possessores, sed potius mediatum, cum mediante verbo talis ipsis gloria contingat, ut & ipsi, tanquam lux, vel etiam lucerna Job. V. 35. per verbum prius illuminentur & postea per idem verbum aliis luceant, & his mysticam fidei,
viteq;

744

vitaq; 'facem' præferant: hinc minime ratione sui, sed ratione
verbi, lucis ministerialis subiectum appellantur. (4) Subiectum non
personale, quod, ratione personarum, Apostolis lux illa tribua-
tur; nam fuerunt illi communes homines, & quidem satis ru-
des, piscatores & publicani, neutiqvam Rabbini, vel Legispe-
riti, quorum Titulus erat, eos Lucem mundi nuncupari; sed potio
officiale, quia ratione numeri, vel officii, lux mundi vocantur,
dum sunt legati Christi, loco Christi legatione fungentes & mi-
nisterium reconciliationis per verbum reconciliationis admi-
nistrantes II. Cor. V. 19. & sic mundum per verbum lucis DEO
reconcilians, & instar lucis ipsum mundum per verbum illu-
minantes.

20. *Materia circa quam Lucis Ministerialis* uno verbo di-
citur mundus, quia lux mundi nuncupatur. Per mundum autem
h. l. non intelligimus (1) Mundum sensu Calviniano, quatenus di-
citur, solos electos atq; fideles h. l. significare: nam & Christus, &
Apostoli, non tantum Electis Evangelium prædicarunt, sed etiam
reprobis idem Evangelium annunciarunt, quemadmodum ex
ipsorum perpetua praxi liquidissimum est. (2) nec intelligimus
mundum sensu Physico, quatenus vel ὅλην τῆν γῆν, totam cæli, terræq; ma-
chinam, cum omnibus creaturis, iisdem contentis, vel etiam με-
τὰ τὴν γῆν totum orbem terrarum, cum omnibus partibus suis, natu-
rali ratione significare dicitur: nam hunc physicum mundum,
Solis naturalis splendor illuminat, nec opus huic sole, vel etiam
luce mystico, cum lux mystica mundo physico neq; divinitus sit
destinata, neq; mundo naturali proportionata, nec ad usus ejus
accommodata. (3) neq; sensu metonymico inadæquato, vel synec-
dochico, quatenus accipitur pro reprobis & improbis hominibus,
Matth. XIII. 22. XII. 7. Luc. XVI. 8. XX. 34. Job. I. 20. XII. 31. XIV. 17.
22. 27. 39. 31. XV. 18. 19. 18. Licet enim his cum aliis lucem ministe-
rialem Deus ad salutem ordinarit, tamen propter incredulita-
tem salutarem ex ea fructum minime percipiunt. (4) Sed acci-
pitur sensu metonymico adæquato, vel immediato, quatenus signi-

ficat omnes homines , mundo contentos, sive sint boni, sive mali, sive credentes, sive increduli, sive Electi, sive reprobi.

21. Probatum hoc (1) ex absoluta vocis introductione, quia simpliciter Apostoli lux mundi nuncupantur. (2) ex articuli emphatica premisione, quia dicitur τῷ κόσμῳ, nim. illius mundi, qui totus involutus est tenebris, ut nusquam aliquid lucis appareat. Tales autem tenebrae peccata sunt, & omnes homines tenebris peccatorum obnoxii sunt. (3) ex mundi huius & lucis oppositione, quia lux & mundus non modo distinguntur, sed etiam suo modo peculiariter opponuntur, quatenus nim. lux est objectum, mundus subiectum, lux agens, mundus patiens, lux DEi, mundus Diaboli, lux ipsius luminis, mundus tenebrarum, lux verbi, mundus peccati &c. jam autem hic status oppositionis universos homines includit. [4] ex mundi & lucis adequatione, sicut enim lux sumitur in sensu adequato, & universalis, cum haec lux omnia lucidissima salutis mysteria comprehendat, & ipsos Apostolos oecumenicos, omnium hominum Doctores respiciat: sic etiam mundus in adequato vel universalis sensu luci subicitur, & ad illuminationem destinatus esse dicitur. (5) ex mundi & terrae totius permutatione: nam versiculo precedente 13. Christus dixerat: Vos estis Sal terra: nunc v. 14. dicit: Vos estis lux mundi: qua ratione facile patet, quod haec duo, nim. mundus & terra, non obscurius inter se permutentur, & quoad latitudinem adaequantur: jam autem vox terrae supponitur universaliter pro cunctis hominibus, in terra degentibus, qui salis mystici, propter universalem corruptionis statum, sunt indigi: sic eadem ratione mundi vox universaliter erit supponenda. (6) ex Apostolorum commendatione, quia Christus dicens: Vos estis lux mundi, praecunetis aliis Apostolos commendare voluit: jam autem haec omnium optima dicitur commendatio, quod Apostoli revera sint mundi totius, id est, omnium hominum lux, & lucerna. (7) ex subiecti consideratione, quia certum est, quod Apostoli totius mundi Doctores esse debuerint Marc. XVI. 15. Ite in mundum universum, & predicate Evangelium omni creature, & quod tales etiam fuerint, eventus ipse comprobavit,
ad

745

ad quod hoc elogio Christus respexit, quando dixit: *Vos estis lux mundi.* (8) *ex reliquarum similitudinum collatione*, quia mox v. 15. *Civitati supra montem posita, vel omnibus conspicua, vel nulli prorsus abscondita, v. 16. lucerna omnibus lucenti*, conferuntur, quæ similitudines universaliter omnes homines respiciunt, idem ergo de præsentis quoque dicendum. (9) *ex hujus lucis subordinatione*, quia lux hæc mundi ministerialis subordinatur luci mundi principali, Christo, Job. IIX. 12. jam autem Christus mundi totius Salvator Job. IV. 42. vel omnium hominum Salvator Luc. II. 1. c. II. 1. Tim. IV. 10. *Salutare paratum ante faciem omnium populorum* Luc. II. 30. 31. ergo ministerialis lux etiam ad omnes homines referenda venit. (10) *ex Sancti Spiritus explicatione*, quia Christus non tantum indefinite τὸ Φῶς τῶν ἀνθρώπων, lux hominum appellatur Job. I. 4. sed eadem indefinita locutio statim universaliter explicatur v. 9. Christus erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. In mundo erat: & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. Job. III. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum (nim. ut esset mundi lux) daret, (& per hunc Ministerium Apostolorum, ceu lucem mundi ministerialem, ordinaret) ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed vitam æternam habeat, &c.

22. *Causa formalis lucis ministerialis est vel generalis, & consistit in ministeriali per verbum illuminatione*: sicut enim lux vera dicitur, quæ homines illuminat Job. I. 9. ita formaliter etiam lux ministerialis est, quæ ministerialiter per verbum illuminat, quod iterum prolixè demonstrari posset, nisi manifestum satis id esset: sicut etiam Christus ipse lucem hanc ministerialem formaliter explicat, quod nemo lucernam accendat, eamque sub modio ponat sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt Matth. V. 15.

23. Vel *Specialis, quæ consistit (1) in ministeriali ad solem justitiæ relatione*: nam Christus Sol justitiæ Malach. IV. 2. & lux magisterialis est, ac ipsa vita Job. I. 4. à qua simpliciter & formaliter pendet omnis lux ministerialis. Sicut enim in genere minister in
omni

omni sua formalitate refertur ad Dominum, & in tantum est mi-
 nister, in quantum refertur ad suum Dominum, in tantum autem
 minister non est, in quantum ad Dominum non refertur: sic etiam
 lux ministerialis in omni sua formalitate refertur ad lucis Magi-
 strum & Dominum, Christum Jesum, & in quantum ab eo pendet,
 lux ministerialis est, in quantum ab eo non pendet, lux ministeria-
 lis dici non debet, nec esse potest. Hoc ipse Christus in Aposto-
 lorum instructione solenni notare, vel indicare voluit Matth.
 X. 19. Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim
 vobis in illa hora, quid loquamini: v. 20. Non enim estis vos, qui lo-
 quimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis: Item v.
 27. Quod (& non aliud) dico vobis in tenebris, (nim. privatim, vel
 etiam per occultam & internam revelationem ac inspirationem)
 dicite vos in luce (h. e. omnibus aperte predicare); & quod in aure
 auditis, predicare super tecta. (2) in ministeriali lucis participatione:
 sicut enim Sol reliquas stellas, ceu Ministras suas, illuminat, ut toti
 mundo lucere possint: ita pariter Apostoli lucem participatam à
 Sole justitiae ministerialiter obtinent, atq; possident, ut omnibus
 hominibus in mundo lucere formaliter queant. Sicut minister
 à se nullam, omnem à Domino, suscipit ministerii, vel administra-
 tionis auctoritatem: Sic Apostoli, ceu lux ministerialis, nullam à
 se, sed omnem à Domino lucis, vel auctoritatem, vel potestatem, l. lu-
 cem, per ministerialem luminis communionem, formaliter obti-
 nere dicuntur. (3) in ministeriali subordinatione, quia lux ministe-
 rialis in tantum talis est, in quantum magisteriali subordinatur,
 & subordinata manet. (4) in ministeriali lucis possessione, quia
 sunt ministeriale, vel etiam causale quoddam ἀπαύρασμα, vel re-
 fulgescencia, lumen de lumine, lux mundi ministerialis, à luce mun-
 di magisteriali, Job. IIX. 12. Sicut enim Filius est ἀπαύρασμα per-
 sonale Heb. I. 3. & idem est τὸ Φῶς cum Patre I. Job. I. 5. Sic etiam
 respectu Christi causale, respectu sui, ministeriale quoddam ἀπαύ-
 ρασμα sunt Apostoli, & cum Christo sunt eadem lux, idem lumen,
 cum nec aliud verbum, nec aliud Evangelium offerre debeant, quā
 quod acceperant, sicut in hac etiam materia testatur Johannes
 I. Epist. I. 3. Quod vidimus, & audivimus, annunciamus vobis, ut
 & vos

720

Et vos societatem habetis nobiscum: Societas autem nostra est cum Patre, & Filio ejus Jesu Christo, & hac scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum: Et haec est annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis: Quoniam Deus lux est, & tenebra in eo non sunt ulla: si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus: si autem in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, societatem habemus ad invicem: & Paulus gravissimis verbis pronunciat. Galat. I. 8. Licet nos, aut Angelus de caelo, evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit: & iterum v. 9. Sicut praediximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit. (5) in aeternae lucis dispensatione, vel administratione, quia sunt aeternae mysteriorum divinarum, vel aeternae ministerialis lucis I. Cor. IV. 1. (6) in verbi praedicatione, quod verbum praedicatum est lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris Ps. CXIX. 105. est preceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Ps. XIX. 9. mandatum lucerna est, & lex lux, & via vita increpationis disciplina, Prov. VI. 23. & Petrus commendat maxime lumen hoc verbi praedicationis II. Epist. I. 19. habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui benefacitis attendentes, quasi lucerne, lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. (7) in Baptismi collatione, qui vere lavacrum regenerationis est & renovationis in Spiritu sancto Tit. III. 5. regeneratio vero nihil aliud est, quam Spiritus S. collatio: Spiritus autem sanctus est illuminationis autor principalis: regeneratio vita spiritualis collatio, quae nihil aliud est, quam lux spiritualis, quae Deum, veram lucem, cognoscimus: regeneratio est fidei salvifica communicatio: Fides autem salvifica vera lux est, lux spiritualis cognitionis, lux spiritualis assensionis, lux fiducialis apprehensionis, applicationis, & possessionis. (8) in caena Domini distributione, quae pariter ob communicationem corporis & sanguinis Christi, cordis, & corporis illuminat oculos, dum sanguis Jesu Christi nos emundat ab omni peccato, vel ab omnibus tenebris peccatorum I. Joh. I. 7. nam si

D

sanguis

sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitula adpersus, inqvi-
natos sanctificat ad emendationem carnis, quanto magis san-
guis, qui per Spiritum eternum semetipsum obtulit immaculatum
Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad ser-
viendum Deo viventi? Heb. IX. 13. 14. ut verè sic cum Davide fi-
deles exclamare queant Psal. XXVII. 1. Dominus est illuminatio
mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vite mee,
à quo trepidabo? Sic Christi lux, Ministrorum lux, Ministrorum
lux, Christianorum lux, ut & ministris & Christianis dicendum
sit iterum ex Psalm. XXXVI. 10. apud te est fons vite, & in lumine
tuo videbimus lumen:

24. *Causa finalis Lucis Ministerialis* in textu non profus
negligitur, cum *geminus finis* introducatur, nim. *finis cui*, qui
dicitur *mundus*, tum quia propter mundum venit etiam lux Prin-
cipalis, Christus, Job. I. 9. ut illuminaret omnem hominem, venien-
tem in hunc mundum: *accessorium* sequitur suum principale, mi-
nisteriale suum magisteriale: hæc verò lux *accessoria* dicitur & mi-
nisterialis; tum quia lux tam *principalis*, quam *ministerialis*, orta
propter mundi tenebras, ut esset lux hominum, in tenebris ha-
bitantium & ambulantium, Job. I. 4. Vita (λόγος) erat lux
hominum, & lux in tenebris lucet, licet eam tenebra non compre-
henderint: tum quia Christus etiam hic lucem ministerialem
mox exponit, quod non propterea *lucerna* sit, ut *sub modio po-
natur*, sed potius *super candelabrum*, ut *luceat omnibus*, qui in
domo sunt, Matt. V. 15. tum quia propterea sunt, & dicuntur A-
postoli *mundi lux*, ut *mundus* per illos, per ipsorum ministerium,
per ipsorum *verbum*, illuminetur.

25. Et præter *finem cui* Christus etiam *finem cuius* insinuare
voluit, qui dicitur ipsa *illuminatio*, & colligitur (1) *ex lucis sta-
tu*, quia *proprius*, *accessorius*, *perpetuus* lucis veræ finis est, ut
illuminet. (2) *ex lucis hujus ortu*, quia nim. propterea Christus
lucem suam Apostolis communicavit, ut ipsi per *verbum* ali-
os illuminarent. (3) *ex formali actu*, quia lux illa *ministerialis*
est: lux autem *ministerialis* non potest actu non *illuminare*,
cum

CUM

747

cum omne *ministeriale*, quæ tale, *formaliter* consistat in *ministerio*, vel ejus *actu*, siquidem minister est instrumentum Domini sui, juxta Philosophum, adeoq; semper immediate *finis illuminationis* lucem ministerialem sequitur. (4) *ex lucis hujus usu*, cum instrumenta sint propter *usum*, ex *usu* tantum æstimentur, & extra suum *usum* nihil esse dicantur: hæc autem *lux ministerialis instrumenti* rationem habet, tota proinde respicit eò, sive *formaliter*, sive *finaliter*, ut *luce* sua, juxta divinam voluntatem, & ordinationem semper & indefinenter *illuminet*. (5) *ex declarationis sensu*, quia Christus apertissime mox v. 15. idem declaravit, & demonstravit, dum hanc *mundi lucem* exponit per *lucernam lucentem*, quæ non ponatur sub modio, sed super *candelabrum*, UT LUCEAT OMNIBUS, qui in domo sunt: & eodem sensu *Jobannem Baptistam* vocat *lucernam ardentem & lucentem* Job. V. 35. Plures fines ex sacris literis colligere possemus, si modo nostri foret instituti. Quot enim *fines* sunt *Sacrosancti ministerii*, tot etiam *fines* sunt *lucis ministerialis*.

26. Post *lucis Ministerialis Causas* etiam breviter nonnullas *affectiones*, sive *propritates*, introducimus, quales (1) *Dignitas*, nam maxima *lucis vulgaris* etiam est *dignitas*, quod patet ex *prærogativa diei præ nocte*, *lucis præ tenebris*, quam etiam Christus indicat, quod *lucerna* non rejiciatur sub modio, sed elevetur, super *candelabrum* Matth. V. 15. *Lux ministerialis Apostolorum* non modo *dignitate*, sed etiam *divinitate*, & verè *divina autoritate* gaudet, cum sit *divina*, ratione *cause efficientis*, dum est à solo Deo: ratione *cause instrumentalis*, quia solum *DEi verbum* tradit Matt. X. 20. ratione *cause materialis*, quia circa *mysteria divina* versatur I. Cor. IV. 1. ratione *cause formalis*, quia tota *θεσπειρα*, vel *οικονομία* dicitur esse *divina*: ratione *cause finalis*, quia facit ad *DEi gloriam*, ad *DEi*, *divinaq; voluntatis notitiam* &c. *Autoritas* igitur ipsorum est *divina*, quia sunt *DEi servi*, *DEi æconomi* I. Cor. IV. 1. *DEi legati* II. Cor. V. 18. &c.

(2) *Evidentia*, vel *perspicuitas*: ut enim *lux* quævis *perspicuitate*, vel *evidentia prædita*, sic etiam maxima tribuitur *luci ministeriali*

steriali perspicuitas, vel evidentia, quia dicitur non tantum *lux domus* v. 15. sed etiam *lux totius mundi* v. 14. Sol dicitur esse *lux mundi*, propter summum splendorem: sic etiam *Apostoli lux* non *musci*, vel alius *conclavis*, non *domus*, non *civitatis*, non unius *regni*, sed *totius mundi* vocantur, propter summum, quem à Christo consequuntur, splendorem. (3) *Necessitas*, quia maxime necessaria dicitur mundo lux ista. (4) *iucunditas*. (5) *utilitas*. (6) *Virtus & efficacia*. (7) *Universalitas*. (8) *Perpetuitas*. (9) *firmitas*. (10.) *infallibilitas*. (11) *Puritas*. (12) *Sanctitas* &c. de quibus & aliis *attributis*, hic prolixius agere nolumus, inferiù circa doctrinalia nonnulla plenius declarabimus.

CAP. III.

DE ANALYTI RHECTORICO-
HOMILETICA.

UT hoc Oraculum Christi dives est omni respectu, sic etiam in *praxi Rhetorico-Homiletica* nobis abundantissimas divitias communicat, & innumera *Themata* Concionum diligentibus indagatoribus suppeditat: nos aliqua saltem breviter indicabimus. Nam Christus, ut *Sol iustitiae*, lumen suum per Ecclesiam totam spargit, & in *luce Ministeriali* varia *lucis officia* nobis ostendit. Agitur enim I. De *Luce Ministeriali*, dum exponit [I.] *Lucis Ministerialis Materiam*, *Vas*, inquit, *subjectum lucis Ministerialis* explicans, ex qua vocula comparet quod *subjectum lucis Ministerialis* sint (1) *singulares Apostoli*, quorum XII. Christus elegit, ut essent *luminaria totius mundi*. (2) *Speciales Discipuli*, quorum primitus LXX. vocavit *Luc. X. 1.* postea plures eisdem associavit, qui pariter ex ore Christi doctrinam coelestem perceperunt: tandem varios *exercitus Evangelistarum* necessariis Spiritus Sancti donis exornavit *Act. II. seqq.* (3) *Generales Ministri*, quotquot enim verbum DEI predicant, & verbi lumen fidelibus communicant, *lucis ministerialis officia* administrant. [II.] *Lucis Ministerialis*

For-

Formam, Estis lux, nim. formaliter est (1) *Lux realis*, quia *Ministri* *revera, vel realiter, nō tantū verbaliter, vel cohonestationis ergo* dicuntur *illuminare, contra Calvinianos.* (2) *Lux spiritalis*, quia *lux* vocantur, quatenus *Spiritu Sancto subordinantur.* (3) *Lux actualis*, quia *lucem spiritaliter & actualiter* in cordibus *fidelium* generant. [III.] *Lucis Energiam, vel Officinam, Mundi*, nam *Ecclesiae* *Ministri* suis *præconiis & laboribus* illuminant, (1) *Mundum externum*, quia *mundus* hic *visibilis* etiam per *verbum DEI* confecturatur, *Heb. I. 3.* & in *esse* suo, vel ad *esse* suum, per hoc *lucis verbum* illuminatur. (2) *Mundum internum, nim. Ecclesiam, vel DEI regnum*, quod *directe* tum in *fieri*, tum in *esse*, tum in *operari*, per *Ministerium* illuminatur. (3) *Mundum æternum*, quia *homines* ad *vitam æternam* *illuminando* præparant, totumq; *cælorum regnum* *Electis illuminatis* adimplent.

2. II. *Lucis Ministerialis Praxin* exhibet, & quidem [I] *Praxeos L. M. Subiectum, Vos*, ubi non obscure nobis insinuat (1) *Subiecti quidditatem*, quod sint non *Angeli*, sed *homines*, cum *Deus* ad *regni tenebrarum destructionem* *miseros*, & per *naturam cæcos* *homines* adhibere voluerit. (2) *Subiecti qualitatem*, *Vos, Apostoli vocati*, per *verbum illuminati*, *Ministerio lucis* destinati. (3) *Subiecti quantitatem*, *Vos, nim. omnes, indefinice*, non *solus Petrus*, nec *eius successor* fictitius, *Pont. Rom.* (II) *Praxeos L. M. Medium, Estis*, nim. (1) *per medium divina vocationis, a priori*, quæ *ratione DEI* *jus illuminationis* concedit. (2) *per medium legitime, vel Apostolicae functionis, a formali*, quæ *ratione vel ministerialis illuminationis* opus dirigit. (3) *per medium assidue dispensationis, vel administrationis, a posteriori*, quæ *ratione nostri ministerialis illuminationis* opus perficit. (III) *Praxeos L. M. Scopum, Lux Mundi*, quibus indicatur (1) *Scopus immediatus*, quod sint *lux*, *ratione finis cuius*. (2) *Scopus medius*, quod sint *mundi lux*, *ratione finis cui*. (3) *Scopus ultimus*, ut sit *mundus illuminatus*, *ratione effecti*.

3. III. *Lucis Ministerialis τὰξιν* indicat, & quidem (I) *τὰξιν personarum, Vos*, quæ *vocula* videtur ad *lucis* hujus *Ministerium*

nisterium ordinare (1) *Personas Apostolorum*, immediate, tanquam *Catholicos lucis promos condos*. (2) *Personas extraordinariorum Discipulorum*, tanquam *indubitatos lucis œconomos*. (3) *Personas ordinariorum Ministrorum*, tanquam *perpetuos lucis commissarios*. (II) τὰ ξίϛ regularum, *Estis*, nim. (1) *juxta regulam causalem*, per *verbum*, ratione *DEI*. (2) *juxta regulam exemplarem*, per *verbi præconium*, ratione *Christi*. (3) *juxta regulam normalem*, per *totum Ministerium*, ratione *Spiritus S.* quod est *Ἀγαθὸν τὸ πνεύματος* II. Cor. III. 8. (III) τὰ ξίϛ operarum, *lux mundi* (1) *ratione lucis communicationis*, quia *lucem à Christo recipiunt*. (2) *ratione lucis applicationis*, quia *lucem, à Christo collatam, non sibi servant, sed mundo, vel hominibus applicant*. (3) *ratione lucis multiplicationis*, quia *lucem hanc per totum mundum diffundunt*.

4. IV. *Lucis Ministerialis Officinam* etiam tradit, quia notat [I] *Officina lucis Ministerialis Operarium, Vos*, in qua vocula non obscure nobis hic *operarius* insinuatur (1) *ratione sui*, quod sunt *homines, Vos*; Christus n. *hominibus loquitur*. (2) *ratione officii, Vos*, quia *pronomen ὑμεῖς respicit Apostolos*. (3) *ratione numeri, Vos*, in *plurali loquitur*, quia *multi fuerant Apostolorum*. [II] *Officina lucis Ministerialis Artificium, estis*, nim. (1) *ex divina gratia*, quia *lucis ministerialis artificium non est humanum studiū, sed divine gratie beneficium, non nature bonum, sed divine gratie donum* I. Cor. XV. 10. (2) *ex divina ἐπιχορηγία, vel κοινωρία*, quia *nihil est, qui plantat, nihil, qui rigat, sed omnia Deus, qui solus incrementum dat*. I. Cor. III. 7. (3) *ex divina ἐπιχορηγία*, quia *Deus in Apostolis loquitur: non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, Matth. X. 20. *Deus exhortatur per ipsos, tanquam per ministerium reconciliationis* II. Cor. V. 19. 20. *Deus etiam in omnibus omnia solus operatur*. I. Cor. XII. 6. [III] *Officina L. M. opificium, lux mundi*, qui *mundi lux Apostoli fuerunt*. (1) *per lucis predicationem*, quia *verbum, cum meram lucem, predicarunt*. (2) *per lucis communicationem*, quia *sua predicatione lucem mundo communicarunt*. (3) *per lucis*
manife-

749

manifestationem, quia sic Apostoli *lucem* mundo communicarunt, ut factus sit *illuminatus*, & *mystica lux fidei*, vel *bonorum operum*, ubiq; locorum apparuerit.

5. V. *Mystica mundi luminaria* deniq; notabimus, quia cernimus in his verbis [I] *Mysticorum luminarium Subiecta*, *Vos*, quia vocula nobis indicantur (1) *Subiecta visibilia*, ratione sui, quia Christus digito quasi monstrabat *Apostolos*, tanquam *luminaria visibilia*, cum *luminaria conspicua* sint, non *inconspicua*. (2) *Subiecta audibilia*, ratione nostri, quia non erant *physica*, sed *mystica luminaria*, quæ non *σάματι*, sed *ῥήματι lucido*, tenebricosis hominibus *splendere* debebant. (3) *Subiecta infallibilia*, ratione *verbi*, vel ipsius *DEi*, quia non *suo*, sed *DEi* nomine, certo, vel infallibiliter erant *luminaria*. [II] *Mysticorum luminarium acta*, vel *effecta*, estis *lux* (1) *actualiter in tenebris lucendo*, quia non poterant Apostoli *verbo non lucere*, cum ipsum *verbum* sit *lux* *Psal. XIX. 9. lumen & lucerna CXIX. 105.* (2) *actualiter tenebris lucem conferendo*, quia *lux erant* Apostoli, non *sibi*, sed *aliis*, non *lucidis*, sed *tenebricosis* hominibus *lucem* præbendo. (3) *actualiter tenebras illuminando*, quia per *verbum* homines *obscuratos illuminabant*. [III] *Mysticorum luminarium Objecta*, *Mundi* vocantur *lux*, vocula *v. mundi* designantur (1) *objecta mirabilia*, quia *mundi nomen* designat homines corruptos, prorsus ineptos, *cacos*, & ad *lucis receptionem* per naturam minime proportionatos. (2) *objecta resistibilia*, quia *nim. homines* non modo nullam ad *lucem recipiendam* proportionem habebant, sed *innumeris impedimentis* ipsi *luci* quoq; resistebant. (3) *objecta universalia*, quia *mundi nomen omnes homines universaliter* includit.

CAPUT

CAPUT IV.
DE ANALYTI THEORETICO - PRACTICA.

I.

1. **A**ccedimus nunc ad varios *Oraculi presentis Usus*, qui dicuntur in genere, vel *Theoretici*, vel *Practici*, vel juxta *Paulum* ad *quintuplicem classem* referantur, sic notamus (1) *Didactica*, quia *Christus* hoc *Oraculo* non modo *pondera*, sed etiam *agmina doctrinarum* nobis *insinuare*, voluit, nos aliquas *impresentiarum* magis *enarrabimus*, quam plenius *explicabimus* (1) *Dari SS. Ministerium*, quod patet hic (1) *ex Christi Salvatoris assertione: Vos estis*: nam *existentiam* ejusmodi *Christus* verbo *substantivo*, *explicite notato*, non tum *indicare*, quam *affirmare* voluit. (2) *Ex lucis significatione*, quia *lux* h. l. non *materialiter*, nec *magisterialiter*, sed *ministerialiter*, accipitur, adeoq; *posita luce ministeriali* non potest non *dari ministerium*. (3) *ex lucis hujus significatione*, quia *Christus* est *lux mundi primitiva Job. IX. 12*, hanc *derivata*, *Christus* ἡ ὀψιμας, hanc *Ἀνανοιας*, *Christus* *independenter*, hanc *dependenter*, *Christus* *principaliter*, hanc *ministerialiter* &c. (4) *ex lucis hujus relatione*, quia *refertur* non ad *locum aliquem certum*, cum *lux magna* sit, quæ vel *integrum hypocaustum*, aut *canaculum*, aut *theatrum magnum* illuminet: & *major*, quæ *domum integram*, *oppidum* integrum, *regnum integrum*, illuminare queat: sed *maximum*, quod *totum mundum* sic illuminet, ut *verè lux mundi* saluari queat. (5) *ex similitudinum presentium collatione*, quia dicitur *lux non futura*, sed *presens*, *Vos estis*, non *potentialis*, sed *actualis*, *lux mundi*, vid. *actu lucens* v. 15. 16. *Vos estis Sal terre*, v. 13. sic dicitur *Civitas*, in *monte posita*, non *obscura*, sed *conspicua*, v. 15. dicitur *lucerna*, non *sub modio*, sed *supra candelabrum* posita, *lumen actu spargens*, *actu lucens* &c. quæ cum aliis dictis *parallelis* *veram existentiam Ministerii* demonstrant.

2. II. *Apostolorum* etiam *Existentia* non tantum *alias* ex *ipsa vocatione*, *solemni confirmatione*, *principali instructione*,
nomina.

nominali introductione *Matth. X. 1. seqq. Spiritus effusione Act. II 1. seqq. &c.* sed etiam h. l. confirmatur (1) ex Christi allocutione, quia Christus eos alloquitur, dicens: *Vos.* Quos autem Christus alloquitur, illi suam habent existentiam. (2) ex Christi affirmatione, *Vos estis:* nam ab est tertii adjecti, ad est secundi adjecti, vera dicitur consequentia, (3) ex emphatica appellatione, quia dicuntur *lux*, & quidem non communis, sed singularis, τὸ φῶς, quia singulariter à Christo vocati, vocatione non mediata, sed immediata, quorum mentes accense, tum ἀπό φωτός à luce Christo, qui doctrina luce singulis diebus easdem illustravit, tum ἀπό φωτός illuminata à Spiritu S. qui propterea tanquam ignis *Act. I. 2.* apparebat, suoq; tum igne, tum divina luce, non tam mediate, quam immediate, Apostolorum corda replebat. [4.] ex catholica ampliacione, quia vocantur *Apostoli lux mundi*, tanquam *Legati Catholici Matth. XXII. 19. pracones Oecumenici Marc. XVI. 15. Luc. XXIV. 47. Doctores Mundani, vel totius mundi,* qui doctrina luce totum mundum illuminare debebant.

3. III. Apostolos non ab hominibus, sed à Solo DEO vocatos esse, *Gal. I. 1.* imò nec ab hominibus, sed à Solo DEO vocari potuisse [1.] quia divinū, vel divino proximum est hoc officium. [2.] quia Apostoli sunt immediata, vereq; divinae illuminationis, qualis illuminatio non est humana voluntatis, nec humana potestatis, nec humanae activitatis, nec humanae comparationis *Act. IIX. 30.* quia nemo talem vel industria, vel pecunia, vel aliis mediis comparare potest. [3.] quia mystica lux intelligitur, qualem homo naturalis ignorat *II. Cor. II. 14.* multo minus eam vocat, vel alio modo causale quid circa lucem illam praestat. [4.] quia sunt lux mundi: nullus autem homo totius mundi nunc Dominus est, & omnibus lucem dare potest, sed Christus solus lux mundi *Job. IIX. 12. Salvator mundi Job. IV. 42. Dominus mundi Ps. L. 10. XXIV. 1. iudex mundi Gen. XIX. 25. &c.*

4. IV. Christum esse verum Deum, quod non tantum patet ex precedentibus, cum solus Deus vere beatos efficere possit: sed etiam ex presentibus, quia solus Deus lucem mundi creare, vel

re, vel dare potest: nam solus Deus dat *lucem mundi externi*, quoad *regnum potentie Gen. I. 16.* solus Deus dat *lucem mundi interni*, quoad *regnum Gracie Esa. LX. 1. h. l. & alibi*: Solus Deus dat *lucem mundi eterni in regno glorie Apoc. XXI. 23.* quia *civitas DEI, vel Hierosolyma caelestis*, non eget sole, neq; luna, ut luceant in ea; nam *claritas DEI illuminavit eam, & lucerna ejus est agnus, & ambulabunt gentes in lumine ejus &c. XXII. 5.* Nox non erit, & non egebunt lumine lucernae, neq; lumine solis, quoniam *Dominus Deus illuminat illos, & regnabunt in secula seculorum*: Et deniq; ex sequentibus, quia Christus innumera *Deitatis argumenta* hac illustri concione montana prodidit.

5. V. *Christum secundum utramq; naturam esse causam Apostolici muneris* [1] quia totus Christus Apostolos vocavit *Matth. IV. 19. 21. IX. 9. X. 1. seqq.* [2] quia totus Christus eos confirmavit, *Job. XX. 21. seq.* [3] quia totus Christus eos ablegavit *Matth. XXII. 19. Marc. XVI. 15. Luc. XXIV. 46. 47. Job. XX. 20. seq.* [4] quia totus Christus hic in *mundi lucem* eos ordinavit, siquidem de *natura divina* nullum dubium, secundum *humanam naturam* autem hic verba protulit, suisq; verbis efficacissimis eos in *mundi lucem* constituit. [5] quia *legatio, vel constitutio, Apostolorum* est *pars officii Christi*: jam a. *officialia* Christo, secundum *utramq; naturam*, conveniunt, prout ex *κοινωνία τῶν ἀποπέλεσιμῶν* est manifestum. [6] quia Christus, secundum *utramq; naturam*, est *lux mundi principalis*, adeoq; sibi quoq; secundum *utramq; naturam* *lucem ministerialem* subordinat. [7] quia Christus secundum *utramq; naturam* est *caput Ecclesiae, Dominus Ecclesiae &c.* ergo quoq; *lux ministerialis*, secundum *utramq; naturam*, ab eodem dependet.

6. VI. *Apostolicum munus esse* [1] *Summum*, vid. in *Ministerio*, cum *ἀμέσως* & immediate, sit à Christo. [2] *Optimum*, cum nihil aliud sit, quam *lux*, qua melius quid nec in mundo naturaliter, nec in Ecclesia supernaturaliter inveniatur, cum *lux* omnis generis utilitates afferat. [3] *maximum*, quia dicitur *lux mundi, lux non paucorum, neq; multorum, sed omnium.*

7. [VII]

751

7. VII. *Apostolos esse lucem mundi* [1] *causaliter*, vel *ratione cause*, quia sunt à *luce vera*, & *mera Christo* Job. I. 4. seqq. [2] *officialiter*, vel *ratione sparta*, quia totum *officium Apostolorum* per DEi gratiam nihil aliud, quam *verum lumen* extitit, per quod totus mundus, tenebris satanae, vel peccatorum, prorsus obscuratus, fuit *illuminatus*. [3] *doctrinaliter*, vel *instrumentaliter*, *ratione verbi*, quia *verbum DEi*, quod est *unicum, solitarium adequatum*, & *perpetuum Apostolorum organum*, sive *medium*, est *vera lux*, *mera lux* Psal. XIX. 9. CXIX. 105. Prov. VI. 23. II. Pet. I. 19. [4] *Ministerialiter*, *ratione ministerii*, vid. *actualis*, quod utrumq; nim. & *officium Apostolorum*, & *verbum divinum*, conjungit. Hinc scribit B. Chemnit. in Harm. ad h. l. *Apostoli vocantur lux mundi*, *ratione Ministerii*, per quod, & non aliter *Filius DEi* illuminat illos, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent. Et hac appellatione commendat *dignitatem, utilitatem & necessitatem ministerii*. Quia n. *Apostolos* propter *ministerium verbi* vocat *lucem*, non quorundam tantum, ut *Judeorum*, qui umbras legis habebant, sed *totius mundi*, ostendit *totum mundum* cum omni sua *sapientia* versari in *densissimis tenebris*, [1] *Agnitionis DEi*, & *vera pietatis*, [2] *in tenebris peccatorum*, [3] *in tenebris umbrae mortis*. At simul ostendit ex *triplicibus illis tenebris* neminem, quicquid conetur & agat, posse liberari, nisi per hoc *ministerium verbi*, quod ideo vocat *lucem mundi*. Nam *Filius DEi* est quidem *vera lux*, quae illuminat, sed illud facit per hoc *ministerium*, quod est *lux mundi*. [4] *Materialiter*, quia dicuntur *lux mundi*, cum *totum mundum* tenebricosum *illuminare* debeant, & *virtute DEi* valeant. [5] *Finaliter*, quia totum *officium Apostolorum* hanc *illuminationem*, & *tenebrarum spiritualium dissipationem*, respicit. [6] *occasionaliter*, quia sicut *Diabolus tenebras*, mediantibus peccatis, per universum mundum disseminavit: sic etiam *tenebras istas mysticas* Christus dissipavit, dum *Apostolicum munus*, veluti *mundi lucem*, omnibus hominibus destinavit & ordinavit. [7] *collateraliter*, quia *Prophetae* cum *Apostolis* non raro conferuntur

tur & conjunguntur, cum illi *Veteris* fuerint, hi *Novi Testa-*
menti luminaria sint: sed illi fuerunt *lux Palestine*, hi *totius mu-*
di, illi *particularis*, hi sunt *universalis Ecclesiae*, illi *Judeorum*, hi
lux omnium gentium & omnium hominum &c. [9] *antecedenter:*
 quia fuerunt *anteambulones*, vel *praecursores Catholici ministe-*
rii N. T. quod suo modo *lux mundi* quoque vocatur: ergo vo-
 cantur *Apostoli πρωτοί*, ratione *ministerii*, *lux mundi*, reliqui
 saltem *δευτέροι*. [10] *Formaliter*, nam Apostolorum quilibet
lux mundi vocatur, quia nullus ipsorum ad *certam Ecclesiam*,
 ad *certum populum &c.* vocatus est, sed, ratione *vocationis*,
 quilibet Apostolorum in *universo mundo* praedicare, caecosque, ra-
 tione *divinae veritatis*, homines *ubique locorum* illuminare po-
 tuit: verum *alii ministri* non *distributive*, sed *collective*, sunt
lux mundi, cum nullus aliorum ministrorum sit *Doctōr Ca-*
tholicus, sed *topicus*, & omnes alii Ministri sint ad *Ecclesiam*
certam, ad *certum populum* vocati. [11] *Consequenter*, vel *efficac-*
iter, quia mundanos homines, prorsus excacatos, velut *mun-*
di lux splendidissima, mirabiliter *illuminant*, ut ex *filiis τῶ σκό-*
τους, *tenebrarum* evadant *τέκνα φωτός*, *filiis lucis*: *Eph. V. 8.* [12]
Eminenter, respectu *Rabbinorum*, & aliorum *Doctōrum*: nam
 si *Rabbini Sapientes*, & alios *Doctōres*, olim hoc nomine voca-
 runt, quod sint *לְהוֹרֹת לָעַמ*, *lux mundi*, sicut legitur in *lib.*
select. gemm. in cap. de sapientia: Sapientes in terra sunt, quod
luminaria in caelo. Nam *illuminant Mundum*, *expellunt tene-*
bras errorum: & in libro *Juchasin: Multi dicuntur lux mun-*
di, qui tamen sunt tenebrae mundi: multo magis hoc de *Aposto-*
lis dicendum, atque concedendum erit, cum primis quia *Chri-*
stus, Autor & Testis quavis exceptione major, dixit clarissi-
 mis verbis; *Vos estis lux mundi.*

8. IX. *Lucens mundi* non uno modo dici, nimirum. [1] *ἐξοχι-*
τως & *eminenter*, ita *Christus solus est lux mundi Job. IIX. 12. XII.*
46. sic alius nemo *lux mundi* nuncupari potest, neque debet, nisi
 fur & latro vocari velit *Job. X. 8.* quo sensu negatur de *Johanne*
Baptista, qui tamen maximus fuit inter natos e mulieribus Matth.
XI. 11. quod

XI. II. quod sit lux, & tantum conceditur, quod sit testis lucis Job. I. 7. 8. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum: non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine; Hic [Christus nim. & quidem unus, atq; solus] erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. [2] ἀπεσοδικῶς, vel peculiariter, quemadmodum sensu ministeriali, & quidem distributivo, non alii, quam Apostoli, lux mundi vocari possunt, utpote qui soli, tanquam Doctores aecumenici, mundo sunt destinati, tanquam pracones universales sunt vocati, tanquam Nuncii, vel Evangelista Catholici, per universum mundum sunt ablegati Matth. XXII. 19. Marc. XVI. 15. [3] ειδικῶς, vel specialiter, sicut sensu ministeriali, sed collectivo, Ministerium N. T. lux mundi nuncupari potest, quia Deus per omnium ministerium verbo suo mundum illuminat, ita quidem ut omnes simul hoc praestent, quod olim sigillatim Apostoli praestare potuerunt, & vigore suae vocationis facere debuerunt. [4] γενικῶς, vel generaliter, sicut sensu materiali, vel Ecclesia, vel etiam fideles, lux mundi nuncupari possunt, quia sunt lux in Domino Ephes. V. 8. τὴν αὐτὴν Φωτὸς Eph. V. 8. qui abjiciunt τὰ ἔργα τῆ σκοτίας, ut induant τὰ ὄπλα τῆ Φωτὸς Rom. XIII. 12. [5] ὀργανικῶς etiam Verbum Dei lux mundi saluari potest, quia per hoc verbum totus illuminatur mundus. Ps. XIX. 9. CXIX. 105. 11. Pet. I. 19.

9. IX. Apostoli sunt lux mundi in abstracto, quia h. l. dicuntur τὸ Φῶς τῆ κόσμου, nim. quod est verbi tribuitur Apostolis, cum unus, idemq; verbi sit, & Apostolorum effectus: in concreto, quia sunt Φωτισται, Phil. II. 15. licet enim hoc in genere dicatur de fidelibus, vel de tota Philippensum Ecclesia, tamen propterea Doctores & Pastores non excluduntur, sed potissimum includuntur: vel etiam δαδῆχοι, facem & lucem praferentes, à Christo dicuntur: h. l. τὸ Φῶς, quod est ἐν λύχνῳ, in lucerna, & mox v. 15. ὁ λύχνος, quā Φωτὶ suo mundum illuminare dicitur, quia λύχνος τὸ Φῶς, lucerna lucem complectitur.

10. X. Apostoli sunt Lux mundi [1] doctrinā, quia per doctrinā lumen, seu verbi lucem, totum mundum illuminant, ut homines

E 3

mines, pulsus ignorantia, peccatorumq; tenebris, veræ lucis spiritua-
 lis atq; cælestis participes fiant, imò divine nature consortes eva-
 dant II. Pet. I. 4. quia Deus lux est, & in eo tenebræ non sunt ulle
 I. Job. I. 5. [2] Vita, quia luceat ipsorum lux coram hominibus, ut vi-
 deant ipsorum opera bona, & glorificetur Pater noster, qui in cælis
 est Matth. V. 16. & studio pietatis, instar facis, aliis præluceant. [3]
 Disciplinâ, quia καὶ τὰ ἔργα, ἐκχρησασύνη, & οἰκονομίην I. Cor. XIV. 26.
 40. cuncta dirigere debent, ut nim. lux ordinis, decoris & adifica-
 tionis, locum in Ecclesia, retinere possit.

II. [XI.] Dn. D. Winstrupius ad h. I. collegit hujus φωτός
 emphases ex LXX. Versione, quæ multum perspicuitatis, & utilita-
 tis afferunt. Vox Græca Φῶς nim. ἐμφασίω συνλογηῖν plura
 comprehendit, quibus verbi præcones de Apostolico suo munere
 salutariter instrui possunt. Etenim à LXX. Interpr. passim adhi-
 petur τὸ Φῶς ad exprimendas varias Ebraeas voces, quæ huc ad
 nostrum institutum bellissimè accommodari possunt [1] Gen. I.
 3. 4. 5. 18. Exod. X. 23. Levit. XXIV. 2. Num. IV. 16. I. Reg. XXV. 34. 36.
 Job. III. 16. 20. aliisq; in locis compluribus, respondet τὸ Φῶς
 Ebraeo אֵשׁ, quod significationem habet non tantum lucis, sed
 etiam caloris, refocillationis, gratiæ, lætitiæ, vitæ, & omnis boni: Er-
 go ministri Ecclesiastici, quos Dominus vocat τὸ Φῶς, verbum
 DEI graviter & rite concionantes, afferunt hominibus cbaritatis
 calorem, gratiam DEI, lætitiã, & gaudii refocillationem, vitam,
 quin vitam spiritualem & æternam, omne deniq; bonum, imò bo-
 num, quod oculus non vidit, & auris non audivit &c. τὸ Φῶς re-
 peritur. [2] Esa. XIII. 20. ubi in Ebraeo textu est אֵשׁ i. e. sustulit,
 scil. vocem: proinde per τὸ Φῶς hic designatur prædicatio Aposto-
 lica, quæ ὁ φθῶς, seu sonus Apostolorum exivit in omnem ter-
 rum Rom. X. 18. [3] τὸ Φῶς legitur Esa. XIV. 4. ubi exstat Ebraeum
 אֵשׁ i. e. caluit, incaluit, aestuavit: idcirco verbi præcones pro
 gloria DEI, & salute hominum, zelo ardebunt. [4] τὸ Φῶς occurrit
 Esa. XVIII. 4. sub Ebraeo אֵשׁ quod candidum, purum, limpidum
 esse notat: [5] item Dan. II. 22. sub Ebraea voce אֵשׁ, quæ flumen,
 vel fluxum, designat, itaq; nihil concionari licet Ecclesiasticis, præ-

755

ter purum ac limpidum DEI verbum, idq; ex limpidis Israëlis fontibus. [6] Deut. XXXIII. 27. Psal. LXVIII. 27. τὸ Φῶς Jerem. LI. 16. respondet Ebraeo פִּיִּי quod significat Spiritum: Apostoli igitur, qui τὸ Φῶς vocantur, locuti sunt ex Spiritu S. juxta promissionem Servatoris: Non Vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, is est, qui loquitur in vobis Matth. X. 20. [7] τὸ Φῶς Ezech. XLII. 11. exprimit Ebraum פִּתְּחָה i. e. aperuit, quod erat clausum, ideo predicatione Apostolica, & verbo Dei, ceu clave, aperitur janua caelorum Act. X. 11. (8) τὸ Φῶς Ezech. XLII. 7. 10. 12. repræsentat Ebraum סָבַב id est, sepivit, circumdedit maceria: ergo predicatione Apostolica, & verbo Dei, velut sepe & maceria, adversus impetum & insultum hostium spiritualium, Diaboli, carnis & mundi, sepimur atq; munimur. Ex quibus, & aliis, multa certe doctrinalia colligi possunt.

12. XII. Apostoli comparantur luci mundi [1] quoad lucem primævam, in statu creationis, quæ revera lux mundi: [a] sicut verò lux inter creaturas, in rerum formatione prima fuit: sic etiam Apostoli tempore N. T. inter novas creaturas, quas Christo vocabat, sibiq; per verbum appropriabat, vel subordinabat, & in mundi reformatione, primi fuerunt [b] sicut lux primæva solum Deum auctorem habuit: ita lux mystica Sanctorum Apostolorum alium auctorem habere non potuit, [c] sicut lux primæva per λόγος Patris creata fuit, siquidem Deus dixit: Fiat lux: sic etiam λόγος & Orator Patris, Christus Jesus, in diebus carnis Apostolos constituit. [d] sicut primæva lux per vocationem, vel jussionem, suam habuit Oriū; sic etiam hæc Apostolorū lux mystica per vocationem existere cæpit. [e] Sicut lux primæva non à tenebris, sed è tenebris virtute Dei fuit exorta: sic mystica lux Apostolorum non à tenebris, sed è tenebris spiritualibus virtute Christi prodiit, cum Apostoli primum etiam homines cæci fuerint, tenebris ignorantia peccatorum repleti, qui nec in Schola Christi mysteria, verbis clarissimis exposita, percipere potuerunt Luc. XII. 34. [f.] sicut primæva lux totum mundum illuminavit: Sic etiam Apostoli, tanquam lux mundi, cunctos homines, vel ipsum mundum illuminarunt. (g) Sicut

cut

cut lux primæva, juxta plerosq; *massam quandã* supeditavit *Soli, Luna. Stellis Gen. I. 16.* sic etiam hæc lux *Apostolorum* Materiã supeditavit (non ratione *sui*, sed ratione *nostri*, non ratione *capitis*, sed ratione *corporis*, non *ὄρος αἰκῶς*, sed *ὠψικῶς*) *Soli Christo, Ecclesiæ, Lune*, [quippe quæ *Luna* comparatur *Cant. VI. 9.* & per *lunam* exornatur *Apoc. XII. 1.*] & myticipis *stellis* [nimirum fidelibus *Doctõribus* atq; *Christianis.*] Et hanc comparationem respicit ipse *Paulus II. Cor. IV. 4. 5. 6.* ubi plenum quasi *commentarium* hujus *comparationis* *Apostolus* instituit scribens: *Quod si opertum est Evangelium nostrum, in his, qui percunt, est opertum, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloria Christi, qui est imago DEi: non enim nosmetipsos predicamus, sed Jesum Christum Dominum: nos autem servos vestros propter Jesum: quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, IPSE ILLUXIT IN CORDIBUS NOSTRIS* ad illuminationem scientiæ claritatis *DEi* in facie *Jesu Christi*: ubi *B. Luth.* in *Gloss. Marg.* ad illuminationem exponit, id est, nobis lucendum & predicandum est, quomodo *gratis*, in *Christo* nobis ostensa, agnoscenda sit, alii sane luceant, & predicent opera. & legem. [2] Quoad lucem *Physicam*, in statu *conservationis*, quia nunc *Sol* in mundo creaturis lucem præbet, atq; splendore suo cuncta largiter illuminat, atq; sic jure *lux mundi* vocatur: nam & hic plurimas & pulcherrimas notare liceret *harmonias* inter *Solem* & *Apostolos*, nisi brevitate studio pauca sufficerent [a] *Sol* *Deum* solum autorem novit: *Apostoli* tantum ad autorem *Deum* respiciunt: [b] *Sol* *quarto die*, hoc est post *medium creationis*, tempore creationis magis *descente*, quam *accrescente*, mirabiliter in mundum *introducitur*: sic *Apostoli* præter propter *quarto millenario* finito, tanquam *lux mundi*, sunt in hunc orbem *vocati*, cum *tempus mundi* magis *decrementa*, quam *incrementa* lumeret. [c] *Sol* in *calo* naturæ *domicilium* suum accepit, *Apostoli* suum in *calo* *gratiæ* locum acceperunt. [d] *Sol* totum mundum peragrat *velocissimo cursu*: *cursus* *Apostolorum*

rum

759

rum velocissimus extitit, qui mundum universum mirabili successu circumvenerunt (e) Sol mundum totum suo splendore illuminat: Apostoli pariter mundum suo praconio totum illustrarunt Marc. XVI. 15. (f) Solis proprium est nocturnas dispellere tenebras; Sic etiam noctem & tenebras gentilium, ut & crepusculum Judaeorum Evangelio lucis II. Cor. IV. 4. dissiparunt Apostoli. (g) Sol lucet aliis, non sibi; sic etiam Apostoli magis aliis, quam sibi solis sua luce mystica prodesse voluerunt. [h] Solis lumen caelestis est originis, conditionis, operationis &c. Apostolorum lux pariter in caelo gratiae caelestis est originis, proprietatis, operationis &c. (i) Sol est fecundissimus in mundo, juxta Philosophos, Sol & homo generant hominem, sol & equus generant equum &c. Apostolica mundi lux fecundissima fuit, quae semper & ubiq; generat filios mysticos Ecclesiae militanti & triumphanti. [l] Sol omnia suo lumine penetrat, etiam sordes absq; sui coinquinatione: Mundi lux Apostolica cuncta sine difficultate penetrant, etiam peccatorum sordes sine sua commaculatione. [k] Sol est commune bonum omnium; Mystica lux ministerialis bonum est omnibus hominibus commune. [l] Sol omnibus prodest citra dispendium aliorum, nullis obest: sic etiam mystica mundi lux omnibus prodest, nullis obest, [m] sol oritur iis, ad quos convertitur, & occidit iis, à quibus avertitur, ita mystica lux occidit excæcatis, oritur convertendis, oritur iis, ad quos ex DEI gratia convertitur occidit, à quibus avertitur, hinc dicitur Hos. X. 12. va illis, cum ab iis discessero. [n] Solem physicum interpositio nebularum dicitur obscurare: solem hunc mysticum terrenarum cupiditatum interpositio certis eclipsibus & noctibus obscurat. [o] Sol lucet videntibus, non cecis: ceci, vel excæcati, mysticam lucem mundi non vident, credentes oculo mystico fidei semper eam videt: plurima possemus adhuc producere, sed reliqua dicenda spaciolum aliquod requirere videntur [3] Quoad lucem mysticam in statu regenerationis & reformationis. Sol hic Christus Jesus Mal. IV. 2. vera lux mundi Job. XIX. 12. XII. 46. omnia hic spirant harmoniam, cum lux mundi praesens, & ministerialis, à luce mundi magisteriali, quoad omne fieri, quoad esse, & quoad operari, tantummodo dependeat, & tanquam ἀπαύγασμα vel, ὑπαύγασμα ad principale suum αὐγασμα, vel πρωταύγασμα respiciat, sed nec iis meditationibus nunc indulgere placet.

13. XIII. *Mundum*, id est, *homines mundanos esse veras tenebras* Eph. V. 8. *Eratis aliquando tenebrae; meras tenebras*, quia *mundi populus tantum in tenebris ambulat* Esa. IX. 1. *diabolicas tenebras, sub rectoribus tenebrarum* Eph. VI. 12. *Deo hujus seculi* II. Cor. VI. 4. Hoc patet ex eo (1) *quia sunt mundus, mundus autem & tenebrae reciprocantur, & inter se permutantur* Job. I. 5. 10. (2) *quia mundus est objectum lucis, oppositum lucis, adeoq; per se lucem non habet.* (3) *quia mundus luce mystica dicitur hic opus habere.* (4) *quia Deus & natura nihil faciunt frustra: si mundus per se lucem haberet, Deus mundi lucem mysticam non conferret.* (5) *quia Apostoli dicuntur mundi lux: ergo sine ministeriali luce mere sunt in mundo tenebrae, quod etiam Apostolus Eph. V. 8. Eratis (sine nobis) aliquando tenebrae: nunc (per nos, tanquam mundi lucem) lux in Domino.*

14. XIV. *Mundanos homines per liberum arbitrium nihil quicquam ad illuminationem sui conferre posse*, (1) *quia silentium hic altum est de tali vel illuminatione, vel cooperatione.* (2) *quia mundus passive tantum illuminatur, non autem active illuminat.* (3) *quia lux omnis à Deo, vel à Christo Salvatore promanare dicitur, quia mundus illuminatur.* (4) *quia lux hæc ministerialis est, quæ subordinatur suo principali, quod agit in suum ministeriale; sed materiale non agere, verum potius respectu utriusq; pati dicitur.*

15. XV. *Variam esse lucis & luminarium conditionem.* Nam observatum est à nonnullis, quod *quatuor physicorum corporum lucidorum differentie dentur in natura;* (1) *quædam saltem illuminant, non autem illuminantur, veluti Sol.* (2) *quædam illuminant, & illuminantur, sicuti stelle, quæ non tantum illuminantur à sole, sed etiam illuminant hæc inferiora.* (3) *quædam illuminantur superficietenus, ut opaca corpora.* (4) *quædam & quoad superficiem, & quod profunditatem illuminantur, ut corpora diaphana: Sic etiam verissimum est, quod tales differentie possint ad corpora lucida mystica convenienter accommodari.* (1) *Christus, Sol mysticus, illuminat saltem active, non verò passive simul illuminatur.* (2) *Lux mundi presens, vel ministerialis, hoc est, Apostoli, vel etiam alii Ministri, simul illuminantur, nim. à principio superiori, Christo, & illuminant etiam active, nim. inferiora sua, vel alios fideles.* (3) *Hypocrite, tanquam Ecclesie membra quidem illuminantur, sed illu-*
mina-

755

mindtio talis superficialitenuſ ſaltem recipitur, quoad σχῆμα fidei, vel pietatis, ſed internam veritatem atq; viritatem negare dicuntur, illuminantur ad extra, non ad intra. (4) Fideles, & genuini Dei Filii non tantum exterius, ſed etiam interius illuminantur, ita ut vere ſint non modo filii lucis, 1. Theſſ. V. 5. ſed etiam lux in Domino Eph. V. 8. imo Φωσῆρες ἐν κόσμῳ, luminaria in mundo Phil. III. 15. ipſorum corpora diaphana ſunt (1) ratione Dei, qui lux eſt I. Job. I. 5. (2) ratione Chriſti, qui lux eſt vera Job. I. 4. homines illuminans v. 9 (3.) ratione Spiritus S. qui fidelium lux & ignis eſt Act. II. 2. ſeqq. (4) ratione miniſterii, quod fidelibus lucerna lucens Matth. V. 16. (5) ratione verbi, quod eſt lux Prov. VI. 23. lumen & lucerna Pſ. CXIX. 105.

16. XVI. *Apoſtoloſ fuiſſe lucem Catholicam, & ratione gentiliū, qui populus in tenebris erant Eſa. IX. 1. & ratione Judæorum, qui tenebricoſas umbras legis fovebant Col. II. 17. & ſub velamine ſedebant II. Cor. III. 15. 18.*

17. XVII. *Apoſtoluſ eſſe Dauchos lucis, ratione doctrinæ, bonos pietatis, ratione vitæ, æconomos ſalutis, ratione metæ.*

18. XIX. *Miniſterium meram eſſe lucem, cum ſit (1) à luce Deo, Patre luminum Jac. I. 17. (2) propter lucem, Chriſtum Job. I. 4. (3) in luce, Spirituſ, (4) per lucem, verbum II. Pet. I. 19. (5) circa lucem, nim. myſteria lucis, vel Evangelium lucis II. Cor. IV. 4. (6) pro luce fidei & vitæ. Matth. V. 16. (7) ex luce, cum omnes actus miniſteriales ſint lucis actus, lucernæ ardentes Job. V. (8) coram luce, Eccleſia, vel etiam fidelibus, qui ſunt filii lucis I. Theſſ. V. 5. ſicut illa civitas lucis, vel in luce poſita, Matth. V. 15. (9) ſecundum lucem, nim. divine revelationis. (10) ad lucem, nim. æternæ gloriæ, ubi mera lux, nullæ tenebræ Apoc. XXI. 23. ſed haſ, & alias Doctrinas, longa ſerie luculenter ex hoc Oraculo promanantes, nunc perſeqvi non licet.*

19. II. *Elenctica, qua ratione multa notari poſſent, quæ videntur huic textui minus conſentanea: v. g. (1) quod Chriſtuſ Apoſtoloſ mox vocat lucernam v. 15. nihil autem ſimul eſt lux, & lucerna, cum hæc ſit ſubjectum, illa adjunctum, hæc ſit magis concretum, illa magis abſtractum, hæc mediate, ſed illa tantum immediate luceat &c. Verum hic inſtituitur comparatio, non adequatio, vel identificatio: ſunt Apoſtoli ſuo modo lux, ſuo modo lucerna, lux ratione verbi, lucerna ratione miniſterii. (2)*

Cum dicatur hic de *Apostolis*, quod sint *lux mundi*: sed paulo ante v. 10. 11. Christus de *persecutione* ipsorum verba fecerat: jam autem in *persecutione* non sunt *lux mundi*, sed *crux mundi*, non aperte lucent, sed *operte latent*. Verum *dist.* inter *jus & factum*, inter illud, quod *per se* fit, & *ex accidenti*: *per se*, vel de jure, *lux mundi* sunt, & *esse debent*, sed *per accidens* in *persecutionibus latent*. (3) Quod Christus *emphatice* dicat *Job. 11x. 12.* *Ego sum lux mundi*, ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τῶ κόσμου, quæ verba sunt *emphatica*, q. d. *Ego solus sum lux mundi*: Verum *lux* alia dicitur *ἀὐτῷ φῶς nativa*, alia *ἄλλο φῶς aliunde facta*, alia *magisterialis*, alia *ministerialis*, alia *primitiva*, alia *derivata*, alia *per essentiam*, alia *per participationem*, alia *substantialis*, alia *accidentalis*, alia *independens*, alia *dependens* &c. illa *Christus*, hæc *Apostoli*. [4] Quia de *Johanne Baptista*, qui maximus dicitur inter natos à mulieribus *Matt. XI. 11.* negatur *simpliciter Job. I. 8.* quod sit *lux*, multo minus erit *lux mundi*, sed tantum dicitur *testis lucis*: multo magis hoc verum erit de *Apostolis*. Verum & est *testis lucis Johannes Baptista* *Joh. I. 8.* & *lucerna lucens ac ardens Job. V. 36.* non est *lux prima*, sed *orta*, non *propria*, sed *communicata* non *originalis*, sed *testimonialis* &c. sed hæc, & alia mittimus

20. Hic potius notamus (1.) *Elenchum Papistarum*, qui statuunt (1) *Pontificem Romanum esse lucem mundi* non *ministerialiter*, sed *magisterialiter*, propter *Christi vicariatum*, cum in his terris *Christi* sit *vicarius*, *Ecclesie sponsus* & *Dominus*: *Nos justitiam nostram*, inquit ipse *Papa* in c. quoniam de immunit. & *Ecclesie sponsæ nostræ nolentes negligere* &c. & idem est *glosse* in præfat. *Clement. Papa nec Deus est, nec homo, sed neuter inter utrumq;* Item: *Papa non est homo, sed Dei vicarius* &c. Verum *Papa* non est *Christi vicarius*, sed *Adversarius*, cum sit verus *Anti-Christus* (2) *P. R.* esse *lucem mundi* propter *Ecclesie primatum*, apud *Bellarminum* l. 2. de *Eccles. c. 12.* & passim apud alios. Verum *Papa* non *Ecclesie principatum*, sed *tyrannidem*, & *dominium affectatum* administrat. (3) *P. R.* esse *lucem mundi*, propter *infallibilitatis doctrine statum*, cum solus sit, & quidem *infallibilis autor, Doctor, interpret veritatis*, vel etiam *scripturæ*, sicq; per suam *infallibilem sententiam totum mundum illuminet*: cum etiam solus sit *infallibilis & authenticus judex omnium controversiarum* Vid. *Bell. l. 3. de V. D. c. 3. seq. Becan.*
in Ma-

750
in Manual. l. 1. c. 5. Stapler. in relect. princ. doct. fid. contr. 5. qv. 4.
art. 2. & passim alii. Verum dist. inter infallibilitatem ex ἀληθείας,
& ἐκ Φαντασίας: infallibilitas illa Papæ nascitur in humana Οα-
τασία, non deducitur ex divina ἀληθεία. (4) Romanam Ecclesiam
solam esse lucem mundi, quæ præferat facem & splendorem omni-
bus hominibus, salutem expetentibus, ita quidem, ut nemo sal-
vari possit, nisi qui sit in Ecclesia Romana, Salmero tract. 29. tom. 5.
tibi disertis verbis dicit, Ecclesiam Romanam tantum lucem esse,
ideoque eò intrandum, ut lux videatur, & Christus, qui intus est, agno-
scatur. Verum dist. inter Ecclesiam Christi, & Anti-Christi: Eccle-
sia Romana non est Christi, sed Anti-Christi, non est Ecclesia vera,
sed falsa: posito verò quod fuerit aliquando, vid. olim, Ecclesia ve-
ra, non fuit Ecclesia Catholica, sed topica, non lux mundi, sed certi
loci. (5) Apostolos, vel alios Ministros esse lucem mundi, non ratio-
ne scripturarum, sed ratione traditionum Apostolicarum & Eccle-
siasticarum, cum scripturæ sint obscure, ambidextræ, ambigvæ,
flexiloquæ, sphingis ænigmata, nasus, cereus, & quæ sunt alia scom-
mata; & pari, juxta Concil. Trid. sess. 4, vel etiam majori pietatis
affectu cum scripturis traditiones sint recipiendæ, Verum ex
Deut. IV. 2. V. 32. XII. 32. Job. V. 39. Luc. XVI. 29. aliud est manifestum.
Conf. Gal. 1. 8. 9. (6) Scripturam sacram non esse lucem mundi, nec
perspicuam, sed obscuram, Vid. Bellarm. l. 3. de V. D. c. 2. seq. Verum
contrariū patet ex Ps. XIX. 9. CXIX. 105. Prov. VI. 23. II. Pet. I. 19. & c.
(7) Apostolos, & alios Ministros dici lucem mundi non tam ratione
doctrinæ, quam vitæ, Bellarm. d. l. sed contrarium est superius dictis
est manifestum, & Papistæ saniores id ipsum nobiscum confiten-
tur, Salmero tom. 5. tract. 30. Maldonat. l. Jansen. Guido Carmeli-
tarius & alii in h. l. (8) Apostolos & Sacerdotes Papisticos, cum primis
Romanos Pontifices esse iudices absolutos, & sic lucem mundi, non
tantum in doctrina, sed etiam in vita, sicut praxis ipsa luculenter
ostendit. Verum sunt iudices, vel lux in verbo, non sine verbo, Esa.
II. 20. Job XII. 48. (9) Dari naturæ lumen, & naturalia post lapsū
integra mansisse, homines per naturæ vires etiam assentiri posse, &
quæ sunt aliæ Scholasticorū & Papistarum hypotheses. Verum con-
trarium dicit Christus, quod Apostoli cum sua doctrina soli sint
lux mundi totius. (10) Ecclesiam in mundo semper esse visibilem,
cum Apostoli sint lux mundi, Bellar. l. 3. de Eccles. milit. c. 12. & 13.

Salmer. tract. 38. tom. 5. Greg. de Valent. l. 6. Analys. c. 4. & 5. Huntlag tom. 1. contr. 2. c. 4. & 5. Coster. Enchir. c. 2. de Eccl. p. 109. &c. Verum dist. inter Ecclesiam florentem, & patientem: illa semper visibilis, hæc propter perfecutiones fit impossibilis. (II) Ex h. l. Pontificii Lutheranis dicam scribunt, quod male negent, Ecclesiam visibilem esse, cum Apostoli sint lux mundi. Verum Lutherani non ἀπλως, sed πῶς, Ecclesiam visibilem esse negant. (12) Apostolos, & alios Sanctos, esse lucem mundi non tantum ratione doctrinæ, sed etiam ratione meritorum, hinc tam multa de sanctorum meritis populo pronunt. Verum Christus loquitur de luce mysteriorum, non meritorum.

21. (II) *Elenchum Calvinianorum (I) Mysteriorum Christianæ religionis ex judicio rationis pendere. Verum Christus h. l. dicit: Vos estis lux mundi, non autem mundus sua ratione lux est. (2) Mundum h. l. solos Electos notare: nam ita scribit Piscat. in Schol. Sicut Sol suis radiis illustrat aërem & oculos hominum: ita Apostoli sua prædicatione illustrarunt mentes ELECTORUM salvifica cognitione Dei. Sed mundus non sunt Electi soli, cum nec omnes Apostoli fuerint electi, quia Judas hic erat Apostolus. Huic opponimus Gomar. in h. l. Cum addit Mundi, hoc est, metonym. Hominum, qui in hoc mundo, seu terra vivunt: non a. Electi soli vivunt in hoc mundo, seu terra. (3) Per verba, Vos estis lux mundi, non Apostolos, sed fideles (nim. absolute tales) intelligendos esse, ut est apud Gomar. in h. l. p. 43. Exponit etiã, quod detur luminare Majus, Christus, & Minus, Christianus. Verum, quod Christiani quoque, sint φωστῆρες & luminaria in mundo, facile concedimus ex Phil. II. 15. sed quod h. l. dicantur lux mundi, non eadem facilitate concedi potest, cum aliud sit esse luminare in mundo Phil. I. 5. & esse lucem mundi: nam illud locum, hoc actum, illud commemorationem, hoc operationem, illud beneficium, hoc officium, illud indicium, hoc ministerium, &c. specialius importat. Deinde voce mundi notantur omnes illi, qui luci ministeriali contradistinguntur, & objiciuntur, inter quos & fideles & infideles reperiuntur: si proinde fideles sunt objectum lucis, & sub voce mundi continentur, non sunt subjectum, nec ad lucem simpliciter referuntur. Christus etiam non de fidelibus omnibus, sed de Apostolis in præcedentibus v. 10. 11. 12. 13. verba fecerat, sic igitur v. 14. pariter ad Apostolos sermonem dirigebat. Opponimus Gomaro Tossanum, ad h. l. (4) illuminationem esse non opus Dei, vel sancti Spiritus immediatum.*

Con-

Confess. Helv. Maj. p. 2. sed *mediatum*, cum *Apostoli* dicantur hic *lux mundi*, quod verè *mundum* illuminent. (5) *Apostolos* & alios *Ecclēsie ministros*, non tantum *lucem* significare, vel *annunciare*, sed in cordibus *efficaciter* per verbum *lucem accendere*, & *causaliter* operari, contra Synod. *Dordrac.* judic. Exter. p. 491. quia Christus h. l. dicit, *Vos estis τὸ Φῶς τῆ κοίτης*: *lux* autem *efficaciter* illuminat, (6) *Titulos* istos *Apostolorum* non esse tantum *honoris*, sed etiam *laboris*, neq; Christum tantum *cohonestandi*, sed *veritatem attestandi* ergo dixisse, *Vos estis lux mundi*, contra *Gryneum* in *Disp. Heidelb.* & alios. (7) *Illuminationem* nec *activam* *Apostolorum*, nec *passivam* *fidelium*, esse donum *inamissibile*, contra communem *Calvin.* doctrinam, cum *Judas* fuerit *Apostolus*, & *Apostolatam* suum amiserit *Act. I. 15.* neq; *mundus* omnis *lucem* receperit, aut post receptionem retinuerit *Job. I. 10. XII. 35. seq. Heb. VI. 4. seq.*

23. (III.) *Elenchum Socinianorum*, dum statuunt (1) Christum h. l. non *Apostolos* tantum, sed *omnes suos auditores* atq; *discipulos* his verbis allocutum esse, sicut prolixè disputat *Socin. in c. V. Matth. p. 25. ad 33.* quem sequitur *Grotius* ad h. l. (2) *Vocationem Ministrorum* non esse *necessariam*, apud *Socin.* in tract. de *Eccles. p. 10.* sed illustris hæc est *vocatio*: *Vos estis lux mundi.* (3) *Scriptores θεοπνεύστis*, vel *Apostolos*, *memoria* labi potuisse, *Socin. de autor. script. p. 104.* Sed ita neutiquam *lux mundi* dici, vel esse potuissent. [4] *Hominem* sine *speciali illuminatione* *scripturam*, & *fidei Mysteria*, intelligere posse. *Ostor. in instit. p. 3.* Sed ita *mundi lux Apostoli* non essent &c

24. (IV) *Elenchum Syncretistarum*: (1) *Apostolos* dici *lucem mundi* *ratione tenebrarum*, non *ratione Prophetarum*, quasi *mysteria Trinitatis*, *Incarnationis*, θεαυθεωπνευσ, non satis perspicue revelarint, ut inde vel *intelligi*, vel *credi* potuerint. (2) *Apostolos* non dici *tenebras*, quasi cum *gentilibus*, qui meræ *tenebrae*, *Eph. II. 8.* fuerunt, neq; vocari *nubes*, qs. cum *Phariseis*, *Sadduceis*, aut aliis *hereticis*, qui *lucem veritatis* obnubilant, neq; salutari *nebulas*, quasi cum *Scribis*, *Legisperitis*, *Nebulistis*, *Neutralistis*, *Mediis*, *Ambidextris*, *Mollipedibus*, *Scepticis*, *Vertumnis*, *Dubitantiis*, ἠδυσίεποις, *Lucifugis*, *Adiaphoristis*, &c. conspirare potuerint: sed *mundi lucem* appellari, quia *solam veritatis lucem* approbare, prædicare, propagare debuerunt. (3) *Apostolos* sua *doctrina*, non tantum *viva voce prædicata*, sed etiam *scripta*

scripta, mundi lucem, & veritatis principium esse, quingvesecularem v. consensum, vel sensum in Patribus traditum, pro luce mundi, seu principio veritatis, haberi non posse. Sed hæc & alia prolixius vel allegare, vel ex oraculo præsentis refutare non licet.

25. III. *Paranetica*: (1) Ministri sint auditorum *sal*, ratione legis, *lux*, ratione Evangelii, h. e. perfecti verbi cælestis interpretes, vel rectè τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ὁρθοτομοῦντες II. Tim. II. 15. (2) Ministri sint *sal* propter contritionem, *lux* propter fidem, h. e. pœnitentiæ præcones, exemplo Johannis Matth. III. 1. Christi c. IV. 17. Apostolorum Luc. XXIV. 47. sic vere lucent mundo. (3) Ministri sint *lux* ratione doctrine, ut pure doceant, & ratione vite, ne male, vel impurè vivant. (4) Ministrorum magna dignitas, quia *lux Dei* sunt: duplici proinde honore digni I. Tim. V. 17. (5) Ministri sint *lux mundi*, sic pertinet eorum ministerium non tantum ad minimos, sed etiam ad maximos Act. XXVI. 22. (6) Ministri *lux mundi* dicuntur, ut sint exemplaria gregis I. Pet. V. 3. & c.

26. IV. *Epanorthotica* (1) Ne cum Monachis, vel Eremitis, ad desertum fugiant, quia *lux mundi* esse debent. (2) ne, citra, vel contra vocationem, nonnullorum ἀθέτως βιώσας eligant, sed in publicum, prodeant, ut mundi *lux* esse queant. (3) ne sua privata, vel res occultas, sed ea, quæ sunt Domini curent, & publicè verbum lucis tractent Phil. II. 2. (4) ne cum Juda proditore, vel aliis malis ministris, clam opera tenebrarum diligant, sed opera lucis eligant Job. III. (5) ne cum servo nequam talentum in tenebris defodiant, sed potius in luce Domino suo lucrum faciant Matth. XXV. 25. (6) ne luce saltem doctrine, cum male viventibus, neq; luce tantum vite cum male docentibus, sed utraq; meræ lucis instar fulgeant. & c.

27. V. *Paracletica* (1) Magna ministrorum esse nomina vel elogia, dum participant h. l. de titulo Christi Job. IIX. 12. (2) si mundus non honorat, sed persecutionibus onerat Apostolos v. 10, 11. Christus tamen eos ornat, dum eos lucem mundi vocat. (3) Lucis ministeria sequi lucis premia, lucis gaudia v. 12. (4) Lux est pura, conscientie puritate ministri fideles in omnibus tribulationibus se consolantur. (5) Lux inviolabilis est: sic etiam Ministri, tanquam pupilla Dei, Zach. II. 8. vel *lux mundi* violari non debent.